[3] Eustathius in comm. Homer. locis a Blomfieldio et Hermanno allatis (727, 13 et 1428, 20) ἔξηβος Aeschyleum commemoravit tantum, non interpretatus est.

[4] Similiter alias quoque praepositiones in hoc compositionis genere se habere satis constat; cfr Kühner-Blass Gramm. 2, 321, Brugmann Gr. Gr.[3] 170, Fuegner De nom. graec. cum praep. copulatis cap. sel., diss. Lips. 1878.

tibus oculis est', ἔξαιμος 'exsanguis'; multo autem saepius nihil nisi intentionis quoddam momentum affert remque ad effectum vel summam in suo genere absolutionem perductam esse significat, ut in ἔκδηλος, ἔκπλεως, ἐκτελής aliisque permultis. Eadem porro cum vi etiam verbis et primariis et denominativis praefigi solet: ἐκ-μαίνεσθαι, ἐξ-επίστασθαι, ἐκ-μανθάνειν, ἐκ-πιμπλάναι, ἐκ-τρέφειν cet. — ἐξ-αλαόειν, ἐξ-ανδροῦσθαι, ἐκ-βαρβαροῦν, ἐξ-ελληνίζειν, ἐξ-ορκοῦν, - ορκίζειν, ἐκ-τελεῖν cet. Multaque adiectivorum talium verborumque, et stirpis communione et significatione inter se copulatorum, paria componere licet; in quibus haud ita saepe verbum ex adiectivo factum esse reppereris, sed plerumque, quod ad stirpis conformationem attinet[1], aut utrumque suam sequi sectam aut contraria plane ratione adiectivum ex verbo fictum esse. Cui rei et alia multa (velut ex supra commemoratis ἐκμανής : ἐκμαίνεσθαι, ἔκπλεως : ἐκπιμπλάναι, ἐκτελής : ἐκτελεῖν) et haec documento esse possunt: ἔκδιψος 'siti confectus' Diod. 19, 109,5, scr. anon. ap. Suidam v. ἐκπαθεῖς (cfr ἔκλιμος Theophr.): ἐκ-διψῆν Theophr. al., ἔκτιμα · τὰ ἐπιτεταμένα τῇ τιμῇ Hesych.: ἐκ-τιμᾶν 'praecipuo honore habere' Soph. al., ἔκφοβος Aristot. al.: ἐκ-φοβεῖν; ἔκπυρος 'ardens' Strab. p. 697, Poll. 1,192 al.: ἐκ-πυροῦν, ἔκτυφος 'inflatus' Oenom. ap. Eus. Praep. ev. 5,21 (213 A): ἐκ-τυφοῦσθαι Pol. al., ἔξοινος 'temulentus' Alex. com. fgm. 63 (II p. 318) K., Machon Athen. 349 A, v. 24, Poll. 6,21, al. l.[2]: ἐξ-οινοῦσθαι Eur. Ba. 814, Ath. 38 E. Maxime autem in hoc genere memorabilis vox Pindarica (Ol. 13,99)[3] ἔξορκος videtur, de cuius vi ac natura Boeckh Explic. 220, nisi quod specie deceptus derivandi ordinem pervertit, rectissime haec adnotavit: 'ἔξορκος autem non est *iurans*, sed *iuratus*, *iuramento adactus*, unde ἐξορκοῦν et ἐξορκίζειν *iuramento adigere:* vox praeconis iurata dicitur, quia praeco iuratus est, ut iudex'. Unum, quod modo indicavi, in his mutandum: nimirum enim verbum

---

[1] Si ipsa gignendi initia significationisque proprietatem spectes, latius etiam in his verborum principatus patet.

[2] Inde ἐξοινεῖν Poll. ib., Hegesand. Athen. 477 E; cfr πάροινος : -εῖν (κάτοινος Eur. Ion. 553, Diod. 5, 26, 3 : κατοινοῦσθαι Plat. Leg. 815 C).

[3] Cfr de hoc loco Christ et Schroeder in edd.; quorum equidem neutri ab omni parte adstipulari possum.

compositum ἐξορχοῦν[1] a simplici ὀρχοῦν (: ὄρχος) divelli nequit, et contra prorsus, ac Boeckhio visum est, ἔξορχος adiectivum verbo compari affictum est eaque stirpis specie instructum, quam habiturum fuit, si originatio illa vera esset; sive, ut planius dicam, ad similitudinem adiectivorum in - ος exeuntium, quibus verba III: ae coni. contractae ex ipsis ducta adiuncta erant (ὀρθός : -οῦν, ἐλεύθερος : -οῦν cet.), ἔξορχος ex ἐξορχοῦν analogice formatum est. Quod genus primitivorum suppositiciorum — 'postverbalia' nostrorum temporum grammatici appellare consueverunt — in multis linguis inveniri ac ne a graeca quidem antiqua abesse satis constat[2].

Multa praeterea commemoranda erant, si hunc etymologiae graecae locum paulo accuratius tractare in animo esset; sed iam satis demonstrasse mihi videor ἔξηβος, ea quam dixi 'adulti' significatione praeditum, sive continuo, ex multiplici compositorum similium analogia[3], sive fortasse verbo composito, cuius apud posteros memoria exstincta est, *ἐξηβᾶν (-άσκειν) = ἐξανδροῦσθαι 'adolescere' intercedente, aut ab Aeschylo ipso aut, si cuius forte auctoritatem ille secutus est, ab alio nescio quo fingi potuisse. Hoc vero tragoediae Thebanae loco ne prave intellegeretur, ipso sententiae contextu, quo τὸν ἐλλείποντ' ἔτι ἥβης ἀκμαίας et τὸν ἔξηβον χρόνῳ κτλ. ex adverso composita essent, satis cavisse poeta sibi videri poterat. Nec tamen est, quod interpretum veterum errorem in aliam et paene contrariam partem id trahentium magnopere demi-

---

[1] ἐξορκίζειν, quod aliquanto inferioris aetatis esse videtur, missum facio, quamquam eadem ad hoc ratio transferri potest (ἐξ-ορκίζειν : ἔξορκος = κακίζειν : κακός, σοφίζειν : σοφός sim., ὅρκος : ὁρκίζειν).

[2] Cfr Brugmann Gr. Gr[3] 302, Kurze vgl. Gr. 291 quique utroque loco afferuntur (add. Kretschmer K.Z. 35, 606, Lagercrantz ib. 37, 179). Ex adiectivorum ordine exempli gratia commemorari possunt· ἀπελεύθερος, ἐξελεύθερος : -ελευθεροῦν (cfr Kühner-Blass 2, 322), γυιός: γυιοῦν (Stolz Wien Stud. 25,253 sq.), neogr. σιγός : σιγῶ, ὀκνός : ὀκνῶ, lat. *accommodus: accommodare, adulter: adulterare*, ital. partic. curtata, quae vocantur, velut *chino* (= *chinato*)*: chinare, colmo*[1]*: colmare, domo: domare, adorno: adornare, compro: comprare* (cfr Meyer-Lübke Gr. d. roman. Spr. 2,375 sq.).

[3] Ex eo similitudinis genere ne verba quidem composita prorsus eximenda sunt, atque imprimis ἐξανδροῦσθαι dignum esse patet, cuius aliqua in hac re ratio habeatur (cfr ἀπανδροῦσθαι).

reris, quoniam in propinquo ἔξωρος, ἀφηβᾶν,[1] ἀφῆλιξ aliaque vocabula erant, quibus ἔξηβος ad similem defectus notionem detorqueri posset. Accedebat fortasse — etsi ea de re nihil prorsus constat — quod scriptor aliquis hac voce ita usus erat, quod facile fieri potuisse et per se consentaneum est et exemplis ex eodem genere, quae eandem vel similem prae se ferunt significandi varietatem, comprobari potest[2] : velut ἐκπαθής 'vehementi animi motu elatus' Polyb. al.: 'mali expers, e labore refectus' scr. anon. Suid. v. ἐκπαθεῖς et κεκαινοποιημένοι, ἔκτιμος 'eximio honore habitus (v. habens)' Hesych. (supra p. 169): 'honore privans' Soph. El. 242, ἔκδικος 'cognitor, vindex' poster. (ἐκδικάζειν, ἐκδικεῖν): 'exlex, iniustus' tragg., ἔξαρθρος 'artubus eminentibus' Hippocr.: 'luxatus' (cfr ἐξαρθροῦν, -εῖν) poster.; ἐξομματοῦν, 'oculatum facere' Soph., 'perspicuum reddere' Aeschyl. (Prom. 499=515 ἐξωμμάτωσα, πρόσθεν ὄντ' ἐπάργεμα): 'excaecare' Eurip., ἐξοινεῖν 'ebrium esse' (v. supra p. 169 n. 2): 'vini expertem, sobrium esse (fieri)' Paul. Aegin. (:ἔξοινος = 'vino privatus', v. Steph. Thes. s. vv.), ἐξοπλίζειν 'armis instruere': 'exarmare, praesidio nudare' App. B. c. 2,28 (ἐξοπλίζειν Καίσαρα τῆς στρατιᾶς)[3] al.

Hac vocis Aeschyleae explicatione probata reliqua loci, de quo agitur, pars satis facile expediri videtur. Atque ut Hermanno Madvigioque auctoribus ἔξηβον cum βλαστημόν, articulum autem illi praemissum cum participio ἀλδαίνοντα iungamus, et sententia et aequabilitatis ratio haud dubie suadent. Quid enim aptius hac duorum membrorum discriptione: τὸν ἐλλείποντα ..— τὸν. .. ἀλδαίνοντα ..?[4] ἀλδαίνειν autem similiter hic usurpa-

[1] Cfr Hesych. ἀπηβηκώς · τὴν ἀκμὴν παρελθών; ἄφηβος. — quamvis probe formatum, dubiae tamen auctoritatis esse videtur (v. Steph. Thes. s. v.); ἐξέφηβος Censorin. De d. nat. 4,8 (Blomfield in gloss. Polluc. 8, 105 — sic enim legendum — ita attulit, ut huius vocis testimonium esse facile credas); de ἔξακμος cfr Steph. Thes.

[2] Cfr Valckenaer Diatr. in Eur. perd. dram. rel. p. 196 sq, Fuegner l. s. s. 58 sq.

[3] ἔξοπλος Pol. 2 66 (non 63, quod mendum ex Schweighaeuseri lex. in Thes. et Passowii lex. irrepsit), 3. 3, 81, 2 (cfr Suid. s. v.) non 'armatum' (Steph. Thes., Bernh. ad Suid.), sed (ut vulgo interpretantur) 'inermem, armis nudatum' significat.

[4] τὸν ἔξηβον βλαστημὸν ἀλδαίνοντα ex eo genere ambiguorum est, quod Graeci neque semper evitare poterant neque omnino curiosius defugisse videntur; cfr e. gr. ex hac ipsa fabula v. 521 (508) τὸν Διὸς ἀντίτυπον ἔχοντ' ἄφιλον ἐν σάκει τοῦ χθονίου δέμας δαίμονος.

tum est atque alia saepe alendi gignendique verba, velut τρέφειν, φύειν (Sept. 622 = 609 σάρκα δ' ἡβῶσαν φύει[1]), γεννᾶν (Soph. Ai. 1077 κἂν σῶμα γεννήσῃ μέγα 'etiamsi grande corpus nactus sit') sim., nec significatione a quovis 'habendi' verbo nisi ea re differt, quod speciosius est et ad dictionem obiecti loco subiunctam (βλαστημὸν σώματος) magis accommodatum. βλαστημόν porro duobus attributis, ἔξηβον et πολύν, instructum est, ex quibus posterius, quod propiore se nexu ad vocem principalem applicare videtur, non sane magno sententiam momento adauget — prope ut id παρέλκειν dixeris. Neque tamen plane supervacanea et inanis appendicula est; nam praeterquam quod roboris florisque notionem, quae ceteris inest, aliquatenus saltem intendit et amplificat, ea sententiae conformatio est, ut ad magnum, qui praecedit, verborum cumulum coagmentandum et stabiliendum hoc (vel si quid efficacius excogitari poterat) in extremo addi paene necesse fuerit. χρόνῳ denique, cui in superiore membro ἔτι respondet, germanice potius 'durch die Zeit (das höhere Lebensalter)' quam 'der Zeit (dem Alter) nach' interpretandum videtur. Totum igitur membrum, ut eadem illa lingua in summa subducenda utar, hoc fere modo intellegendum esse existimo: 'wer eine durch das Alter zur höchsten Manneskraft entwickelte (ausgereifte) Wachstumsfülle (-stärke, πολύν) des Körpers hegt (besitzt)'. — Ceterum ex hac adulti robustique viri praedicatione nescio quid etiam ad prius membrum redundat, ut ad contrariam immaturi corporis speciem exiguamque et gracilem adulescentulorum staturam cogitatio traducatur.

Sept. adv. Th. 576 (563 Weckl.) sq.

Quo facilius rerum verborumque series ac conexus appareat, exordium quoque huius orationis transcribere libet. Sic autem nuntium de sexto Argivorum duce narrantem poeta inducit:

ἕκτον λέγοιμ' ἂν ἄνδρα σωφρονέστατον
ἀλκήν τ' ἄριστον, μάντιν, 'Αμφιάρεω βίαν.
'Ομολωίσιν δὲ πρὸς πύλαις τεταγμένος

[1] Ex certa Wellaueri emendatione; M φύσει, recc. φέρει.

χαχοῖσι βάζει πολλὰ Τυδέως βίαν,
τὸν ἀνδροφόντην, τὸν πόλεως ταράχτορα,
μέγιστον Ἄργει τῶν χαχῶν διδάσχαλον,
Ἐρινύος χλητῆρα, πρόσπολον φόνου,
χαχῶν τ' Ἀδράστῳ τῶνδε βουλευτήριον.
χαὶ τὸν σὸν αὖθις προσμόραν ἀδελφεόν,
ἐξυπτιάζων ὄνομα, Πολυνείχους βίαν,
δίς τ' ἐν τελευτῇ τοὔνομ' ἐνδατούμενος,
χαλεῖ · λέγει δὲ τοῦτ' ἔπος διὰ στόμα·
ἦ τοῖον ἔργον χτλ.

Versus, de quibus acturus sum, ea forma posui, qua in libro Mediceo scripti exstant. Recentiores, qui vocantur, codices nihil fere variant, nisi quod v. 576 pro προσμόραν vel πρὸς μόραν (in Med. enim deleti supra προσ accentus vestigium cernitur, atque omnino talia iunctim scribi poterant) πρόσμορον (πρὸς μόρον) praebent. Quibus autem modis locum difficilem emendantes et interpretantes viri docti versaverint, infinitum est persequi nec ad meam rationem necessarium, cum praesertim paene omnia omnium inventa ex locupletissimis appendicis Weckleinianae thesauris depromi possint. Itaque satis erit rettulisse, quid novissimi editores hac de re constituerint.

Ac versus 576 exitum aliquo eoque gravissimo vitio laborare plerique cpnsentiunt. Nam, ut omittam Kirchhoffium, qui pro more et instituto suo libri Med. scriptionem sine ulla iudicii significatione repraesentat, Verrall, quod sciam, solus huic loco, modo πρὸς μόραν ἀδελφεόν scribatur, nihil mendi inesse censuit; Sidgwick[1] autem ἀδελφεόν ita servavit, ut προσμόραν Franckenio auctore in προσθροῶν converteret. Ceteri fere utramque vocem mutatam volunt; ex quibus Dindorf in priore voce marginis Aldinae lectione et in altera Burgesii aliorumque emendatione recepta προσμολὼν ὁμόσπορον edidit, Weil in ed. Teubn. προσθροῶν ὁμόσπορον scripsit, Wecklein in editionibus Zographea[2] et Teubneriana coniecturam a M. Schmidtio propositam προυσελῶν ὁμόσπορον probavit. Com-

[1] Aeschylus S. c. Th. with Introduction and Notes by A. S., Oxon. 1903.
[2] Αἰσχύλου Δράματα Σῳζόμενα .... ἐκδ. ὑπὸ N. Wecklein. I Lips. 1891.

munis autem his similibusque commentis subest ratio. Vulgo enim statuunt eam vocabuli posterioris formam, quae est ἀδελφεός, a senario tragico et Aeschyleo prorsus abhorrere, quod si ita est, prope necessario consequitur, ut ἀδελφεόν ex glossemate ortum esse putandum sit: scilicet vulgare illud trisyllabum ἀδελφόν poeticam vocem, cui pro interpretamento adscriptum esset, loco extrusisse et postmodo versus resarciendi gratia in quadrisyllabam speciem mutatum esse. Quod contra Verrall et Sidgwick (et si qui praeterea in eadem opinione sunt) id tenent, formam vocabuli libris traditam ferri posse. Ac mihi quidem multo hi rectius de ea re iudicasse videntur.

Etenim, si verum quaerere volumus, opinione illa, quamvis a multis clarisque viris prolata et confirmata sit, nihil incertius aut ad probandum infirmius. Abest sane, si hunc locum omiseris, ἀδελφεός a diverbiis tragicis; sed quisquis reputaverit tragoediae graecae, antiquioris praesertim, admodum exiguas ad nos reliquias pervenisse, ea re non magnopere movebitur, nisi aliorum graviorumque momenta argumentorum accesserint. Cuius equidem generis nihil omnino allatum vidi, cum in contrariam partem nonulla iure moneri possint.

Ac primum omnium tenendum est ἀδελφεός, sicut multis Graeciae regionibus (velut apud Iones, Lesbios, Thessalos, Locros, Delphos, Boeotos, Cretenses, alios) in vulgi ore viguisse, ita in compluribus litterarum generibus et in quavis poesis specie, quam Aeolensium, Dorum Ionumve nominibus denotare consuevimus, usitatum et legitimum fratris vocabulum fuisse. Quare proclivis est coniectura tragoediae atticae conditores hanc formam solam ex litterarum usu carminumque recitatione notam habuisse, breviorem autem illam ipsos ex populari domesticaque consuetudine primos adscivisse. Itaque consentaneum erat ἀδελφεός et geminam fem. generis formam ἀδελφεά in melicis maxime tragoediarum partibus frequentari, cum attica ἀδελφός et ἀδελφή diverbia potissimum et anapaestos[1] sibi vindicarent. Atque apud Aeschylum qui-

[1] Qui sermonis habitu medium quendam inter versus melicos et trimetros iamb. tetrametrosque troch. locum obtinent, sed huic tamen generi propius accedunt. Praeterea multae vocum ἀδελφεός, -εά formae (omnes scil., quae in syllabam productam consona terminatam exeunt) nisi synizesi adhibita (cfr infra p. 157 sq.) metro anapaestico includi non poterant.

dem et Sophoclem nullus, quod sciam, locus huic rationi repugnat, etsi multo pauciora exempla sunt, quam ut ad certam quasi legem revocari possint. Aeschylus enim — praeter locum, de quo agitur — ἀδελφός ἀδελφή cum compositis inde deflexis nisi in diverbiis et anapaestis non habet[1]; uno, quo hac voce in melicis usus est, libri quadrisyllabam masculini formam praebent: Sept. 974 (961) πέλας δ'αἵδ'ἀδελφαὶ ἀδελφεῶν. Ubi ut lectionis manifesto mendosae emendatio in ambiguo est, ita vix dubium videtur, quin ultimi vocabuli forma ipsam poetae manum referat; neque enim facile inveneris, quomodo grammatico nescio cui vel librario, nulla praesertim metri opportunitate suadente, in mentem venire potuerit pro trita ac vulgari forma exquisitiorem sibique inusitatam substituere[2]. — Apud Sophoclem eadem fere utriusque formae condicio est: diverbia et anapaestos ἀδελφός (αὐτάδελφος, φιλάδελφος) et ἀδελφή solae obtinent[3], nec rursus usquam, si librorum testimonio fides est, ultra harum partium terminos evagantur; in melicis nulla nisi quadrisyllaba feminini forma ἀδελφεά invenitur, et bis quidem, O. R. 160 et O. Col. 535, eo positu, ut cum diaeresi paenultimae et ultimae legenda sit, semel autem, O. Col. 1056, ita in membri metrici fine collocata, ut vocales contiguae per synizesin coalescere debeant. Quo loco etsi nunc editores ἀδελφάς scribendum esse consentiunt, alteram lectionem ἀδελφεάς, et a primo cod. Laurentiani emendatore (S), cuius quanta in eiusmodi rebus auctoritas sit nemo ignorat, et aliorum librorum (imprimis Par. A) testimonio confirmatam, equidem sine ulla dubitatione prae-

[1] In div. ἀδελφός Sept. 555 (542). 811 (796, adiectivi loco). 1013 (1004). 1029 (1020), Suppl. 320 (323), Ag. 1193 (1192). 1585, Ch. 229 (228). 243 (242), ἀδελφή Prom. 798 (824), Ch. 17; in anap. ἀδελφός Sept. 863 (849), ἀδελφή Sept. 1064 (1056) [974 v. supra]. Cfr αὐτάδελφος (adiect.) in div. Sept. 718 (705), Eum. 89, δυσάδελφος in anap. Sept. 870 (856).

[2] Wilamowitzio igitur Berl. Sitzungsber. 1903, 441(6),4 hoc loco ἀδελφῶν rescribenti non adsentior. — Utrum ἀδελφεῶν ita plane, ut scriptum est, enuntiandum sit an synizesi in tres syllabas coartandum (v. infra), propter loci antistrophi corruptelam in incerto relinquendum videtur (cfr v. Wilamowitz l. c.).

[3] Ut Ellendt et Genthe in lexico Sophocleo auctores sunt, apud hunc poetam ἀδελφός (praeter Ant. 46) 16 locis (adiect. O R. 1481, O. Col. 1262, Ant. 192), ἀδελφή 7, αὐτάδελφος 3, φιλάδελφος uno loco exstant. Quorum locorum omnium duo tantum, El. 118 (ἀδελφός) et Ant. 527 (φιλάδελφος), in anapaestis inveniuntur, reliqui diverbiorum sunt.

tulerim. Quomodo autem haec scriptio et metri necessitas inter se conciliarentur, optime Seidler ad Eur. El. 134 eumque secutus G. Hermann ad O. Col. videntur docuisse. Nam ἀδελφεάν, -εάς sim. cum synizesi pronuntiata et ἀδελφάν, -άς, dummodo recte et ex veritate uterque scribendi modus adhiberetur, non plane idem sonuisse pro certo habendum est[1]. — De Euripide difficilius est existimare, quoniam in hoc adhuc poeta iusto verborum indice caremus. Propriam autem de re, quae in manibus est, per ampla Euripidis volumina quaestionem instituere nunc non vacat nec fere operae pretium videtur, quare hoc satis habeo commemorasse, ex 56 masculinae vocis exemplis, quae Matthiaei Lexici Euripidei vol. primum et unicum et tragicae dictionis index a Nauckio ad tragicorum fragmenta compositus praebent, non plus duo, Phoen. 1528 et Heracl. 622 ἀδελφῶν (priore loco in clausula), et ex 39 feminini ibidem congestis unum tantummodo, El. 134 ἀδελφεάν (in claus., trisyllaba mensura), in melicis versibus legi. Ac de Electrae loco paulo ante significavi Seidlerum recte formam traditam servasse et curtatam Heathii scriptionem repudiasse mihi videri. In colis autem dactylicis Phoen. 1528 et Heracl. 622 facili opera ἀδελφεῶν reponi potest, quod tamen utrum faciendum sit necne, in medio relinquere praestat.

Quae hactenus attuli, eo pertinent, ut neminem ex tragoediae graecae principibus quasi consilio quodam et dedita opera quadrisyllaborum ἀδελφεός et ἀδελφεά usu abstinuisse appareat. Raro illi quidem nec fere nisi in melica has formas admisisse videntur; neque id mirum, cum satis magna synonymorum poeticorum copia suppeteret, velut κασίγνητος, κάσις, ξύναιμος (-αίμων), σύγγονος al., quibus multo insigniorem in modum quam una voci vulgari litterula adiecta orationem exornare et supra consuetudinem cotidianam extollere liceret. Nihilo tamen minus, quod volumus, adsecuti esse videmur, quo concesso non ita difficilis a melicorum usu ad diverbia transitus patet. Utramque enim tragoediae partem ab altera non certis quibusdam sermonis verborumque

[1] Cfr Kühner-Blass Gr. 1,227 sq., G. Meyer Gr. Gr.[3] 222 sq., Brugmann Gr. Gr.[3] 65.

terminis et quasi cancellis seclusam esse constat; immo vero multa, quae a dialecto attica prorsus discrepent, inter se communicant, velut (si modo res notissima documento aliquo comprobanda) epica illa et dorica λαός, ναός ('navis' genet. c., 'aedes sacra'), Ἀθάνα. Quo autem facilius ἀδελφεός in senarios insinuare posset, accedebat, quod apud Iones in usu erat, quorum dialectus quin ad tragicum sermonem conformandum plurimum valuerit, nemo iam dubitat. Quod quis dixerit magis id in verborum copia et delectu[1] quam in sonis figurisque vocum cerni, animadvertat velim ἀδελφεός (-εά) his in rebus ab attica norma nequaquam recedere neque ea specie esse, quae vel leviter intuenti peregrinam originem prodat[2]. Praeterea nec in hac de loco Aeschyleo controversia nec in universa de ἀδελφεός tragico quaestione diiudicanda ne illud quidem neglegendum est, quod ἀδελφός : ἀδελφεός ita comparata sunt[3], ut contracta et soluta eiusdem vocabuli formae haberi possint[4]: ita perfacile fieri poterat, ut in eundem analogiae ordinem atque adiectiva in -εος, -οῦς, substantiva in -ος, gen. -εος, -ους similiaque referrentur, quorum formis solutis poetas tragicos non solum in melicis, ubi legitimae sunt, sed interdum etiam (attica consuetudine plane neglecta) in senariis usos esse invenimus[5]. Ne plura: ἀδελφεός hoc uno loco in senario tragico traditum non magis dignum est, quod propter ipsum formae habitum in suspicionem veniat vel adeo reiciatur quam alia eiusdem notae, quae (ut nostra fert memoria) semel aut bis in hoc versuum genere ponere ausi esse tragici videntur, velut ἀείδειν (pro ᾄδειν)

[1] Multa eiusmodi Rutherford in prooemio Phrynichi sui congessit, sed falsa plerumque opinione ductus ad antiquiorem Atthidis ipsius aetatem et statum rettulit.

[2] Cfr στερεός, -ά (: στεῤῥός, -ά), κολεός, γενεά, ἐλεόν al. — Ceterum multo etiam latius dialecti ionicae admixtionem in antiquissima tragoedia patuisse Diels de fragmento quodam Phrynichi Mus. Rhenan. 56,29 sq. disputans admodum probabiliter statuit.

[3] Maxime in casibus producte terminatis, i. e. praeter nom., voc., acc. sing. omnibus.

[4] Haec vel ei similis opinio diu etiam apud recentiores grammaticos obtinebat, quoad Solmsen K. Z. 32,519 sq. ea de re veriora docuit (cfr Brugmann I. F. 13,147 sq.).

[5] Cfr Gerth Curtius Stud. I 2,232 sq.: χαλκέου Aeschyl. Ch. 686 (682), βρέτεα Suppl. 463 (472) al.

Aeschyl. Ag. 16, Eur. fgm. 188,3 N. (cfr Phryn. fgm. 11), ἀΐσσειν (ᾄσσειν) Eur. Hec. 31, ἐξεχείνωσεν (-χένωσεν) Aeschyl. Pers. 761 (763). Quae, quamvis permanente apud criticos studio illo rarissimum quidque expellendi, iam neminem fere sollicitum habent.

Deinceps de tribus syllabis, quae illi verbo praecedunt, προσμοραν, longe difficilior quaestio aggredienda est. Ubi de corruptela quidem lectionis vix ambigi potest; nam προσμόραν (πρόσμορον) 'vocem nihili' esse rectissime perhibent, et πρὸς μόραν, ut Verrall legendum censuit, non multo praestat. Quod doctissimus ille vir ita interpretatus, ut idem ac πρὸς μέρος (cfr Dem. 36,32) 'pro rata parte', 'pro eo ac debitum est' significaret[1], non longe a vero loci intellectu afuisse mihi videtur; sed μόρα (quo apud Lacones vocabulo sextam quamque exercitus partem appellatam esse nemo ignorat) ita, ut voluit, ab Aeschylo potuisse usurpari contendit magis quam demonstravit. Infelicissima vero usus coniectura v. 579 (χαλεῖ · λέγει δέ κτλ.) totum delendum esse et ad accusativum τὸν σὸν ... ἀδελφεόν ex v. 571 (χαχοῖσι) βάζει audiendum statuit. — Itaque nihil relinqui videtur, nisi ut emendatione rem expedire conemur.

Quo in genere viri docti multa et varia protulerunt inventa, ex quibus duo, quae prae ceteris videntur placuisse, breviter attigisse fortasse satis erit, προσθροῶν dico et προυσελῶν. Illi autem coniecturae cum aliud quiddam, de quo mox dicetur, tum hoc obstat, quod Amphiaraus, ut Weil, Wecklein, alii rectissime monuerunt, haec secum loqui et absentes Tydeum Polynicenque conviciis et vituperatione exagitare, non coram compellare putandus est; προυσελῶν vero nec per se admodum aptum nec Amphiarai Aeschylei persona animique magnitudine satis dignum existimaverim. Praeterea commune et harum et aliarum, quae apud Weckleinium commemorantur, emendationum id vitium mihi videtur esse, quod ad principale totius enuntiati verbum χαλεῖ (579) non satis accommodatae sunt. χαλεῖν enim hoc loco non est 'vocat, advocat' — Polynices enim, ut modo

[1] '*And thy brother also he upbraids in due measure, i. e.* according to his guilt, not with the fierce denunciations addressed to Tydeus, whose malice was unprovoked, but with terms importing the reckless pursuit of ambition and revenge'.

dictum est, in sua ad portam septimam statione versans ab Amphiarao arcessi non poterat — neque 'nomen (absentis) exclamare', qua vi καλεῖν de hominibus vix dicitur, et si maxime diceretur, hoc tamen loco, praemissis illis δίς τ'ἐν τελευτῇ κτλ. (578), tali interpretatione inanis verborum redundantia exsisteret; sed idem declarat atque ἀποκαλεῖν 'nomine aliquo (eoque invidioso plerumque probrique pleno) aliquem insignire et notare'. Cuius usus cum alia exempla tum haec afferri possunt: Aeschyl. Ag. 1232 (1231) τί νιν καλοῦσα δυσφιλὲς δάκος | τύχοιμ' ἄν; ib. 1273 (1272) καλουμένη δὲ φοιτὰς ὡς ἀγύρτρια | πτωχός, τάλαινα, λιμοθνὴς ἠνεσχόμην, Soph. O. R. 779 ἀνὴρ γὰρ ἐν δείπνοις μ' ὑπερπλησθεὶς μέθῃ | καλεῖ παρ' οἴνῳ, πλαστὸς ὡς εἴην πατρί (h. e. vocandi casu ὑποβολιμαῖον appellavit; quem locum interdum minus recte interpretantur). Apparet igitur v. 579 sic fere interpretandum esse: 'Polynicen his vel illis appellationibus insectatus hunc in modum pergit' (dehinc talia fatur): nempe ut priore loco principem expeditionis inimicumque suum contumeliosis vocabulis laceravit (572 sq. τὸν ἀνδροφόντην κτλ. i. e., si recta utaris oratione, (ὦ) ἀνδροφόντα cet.), ita deinceps (αὖθις, suam vicem) alterum belli auctorem, Polynicen, simili appellationum acerbitate corripit, et sic demum reliqua persequitur. Loquendi forma nota ac pervulgata est, quae innumeris Homeri, tragoediarum comoediarumque locis invenitur; ex quibus unum, cuius mihi forte in mentem venit, ideo huc adponere libet, quod, itidem ut hic Aeschyleus, et amplioris ambitus est et (quamvis in scaena adsit Menelaus) apostrophae s. allocutionis fictae exemplum praebet: Eur. Androm. 445 sq. ὦ πᾶσιν ἀνθρώποισιν ἔχθιστοι βροτῶν, | Σπάρτης ἔνοικοι, δόλια βουλευτήρια, | ψευδῶν ἄνακτες, μηχανορράφοι κακῶν, | ἑλικτὰ κοὐδὲν ὑγιές, ἀλλὰ πᾶν πέριξ | φρονοῦντες, ἀδίκως εὐτυχεῖτ' ἀν' Ἑλλάδα κτλ. In Polynice autem nuntium, praeterquam quod Amphiaraum in nomine male ominato immorantem facit, nihil singillatim de exordio illo referre non sane est, quod miremur; nam et ipsi coram Eteocle verba facienti debita fratri verecundia observanda erat, et poetae similitudinis fastidium vitandum. Sed uno certe verbo indicare debebat, cuiusnam generis convicia ista fuissent, quae Amphiaraus in Polynicen quoque iactasse putandus est. Denique hanc vel similem ei sententiam requi-

rimus: 'itemque Polynicen suis ac propriis, sive veris atque iustis nominibus appellat'.

Quod si ita est, nihil magis consentaneum videtur, quam ut eiusmodi aliquid in voce corrupta προσμοραν latere suspicemur. A tali autem initio profectum prope necesse est in eam coniecturam deferri, portento illi duas, in quos exit litteras, praecidi oportere, ut acc. neutr. plur. πρόσμορ(α) adipiscamur, qui 'alterius' sive 'interioris', quod dicitur, obiecti loco ad καλεῖ (579) referri possit. Hoc commento ecquid consecuti simus, mox viderimus; nunc ad terminationem resectam, -αν, convertamur. Quae cum nulla ratione in voculam sui iuris versui sententiaeque convenientem mutari possit, ad verbum, quod insequitur, applicanda est: αναδελφεον, unde nimirum nihil nisi αὐταδελφεόν exsculpseris. Ac licet alibi nusquam, quantum mihi compertum est, αὐταδελφεός scriptum inveniatur, mihi quidem non dubium est, quin haec compositi forma, sicut ματραδελφεός et πατραδελφεός[1] a Pindaro dicta, apud eos, qui simplici quadrisyllabo utebantur, non minus legitima fuerit quam apud ceteros αὐτάδελφος; certe ab homine Graeco, quicunque fratrem aut semper aut interdum ἀδελφεόν appellare consueverat, quovis tempore fingi poterat. Hac autem mutatione nonnihil ponderis, ac fortasse etiam decoris, non versui[2] modo sed etiam sententiae accedere mihi videtur. Nam in τὸν σὸν[3] ... αὐταδελφεόν stirps pronominalis αὐτοvoci principali adiuncta non ad sensum supervacanea est — ut fere in αὐτανεψιός ac nonnumquam etiam in αὐτοκασίγνητος, αὐτάδελφος[4] — sed eandem prorsus vim habet atque eiusdem pronominis seorsum positi genetivus v. 632 (619) τὸν αὐτοῦ σοῦ κασίγνητον.

Iam redeo ad priorem vocem, quam nondum expedivi, nisi

[1] Cfr πατραδελφεῶν in tit. delphico Dittenbergeri Syll.[2] 438, 156.

[2] Idem trimetri exitus statim v. 578 (τοὔνομ' ἐνδατούμενος) ac, nisi fallor, alibi saepe recurrit (velut in Euripideo illo κοὐ ποικίλων δεῖ τἄνδιχ' ἑρμηνευμάτων Phoen. 470).

[3] Cfr e. gr. σῷ δ'αὐταδέλφῳ Eur. fgm. 495,18 N., τὸν αὑτῆς αὐτάδελφον Soph. Ant. 696.

[4] De horum compositorum formatione cfr quae Wackernagel K. Z. 33,13 sq. disputavit. — In αὐτανεψιός, cuius exemplum αὐταδελφεός videtur sequi debuisse, accentus variat.

quod acc. neutr. plur. ad καλεῖ referendum subesse conieci. Ubi nihil praeterea videtur moliendum fuisse, si πρόσμορος adiectivum in sermone graeco eaque vi exstaret, ut huic loco accommodari posset. At nec ullo praeter hunc loco repertum esse videtur, nec facile est ad credendum, Aeschylum id novasse atque ad ea, quae 'pro portione' s. 'merito tribuantur', significanda vel simili aliquo sensu adhibuisse. Nam in adiectivis compositis indidem derivatis, velut ἄμμορος, ἔμμορος, ξύμμορος, significationis ratio aliter comparata est, adverbialisque illa locutio πρὸς μέρος et verbum deterioris notae scriptoribus usurpatum προσμερίζειν 'attribuere' nimis longe remota sunt. Quare denuo, ut opinor, ad coniecturam descendendum est. Bene autem ut in re lubrica agitur, quod non amplius unius litterae mutatione videtur opus esse, ut, si non vera lectio recuperetur, sententiae certe satisfiat. πρόσφορα enim, quod verbum hic reponendum esse coniecerim, apud Graecos omnino vocantur, quaecunque sive in factis sive in dictis 'apta et convenientia', 'accommodata', 'consentanea', vel, ut graece loquar, ἁρμόζοντα, προσήκοντα, οἰκεῖα sunt[1]. Quod cum satis notum sit, pauca tantum eius rei exempla admonendi magis quam docendi causa ex lexicorum copiis delibabo: Aeschyl. (apud quem haec vox bis praeterea, Ch. 711 (707) et 714 (710), invenitur) Eum. 207 οὐ γὰρ δόμοισι τοῖσδε πρόσφορον μολεῖν ('Es schickt sich nicht, dass ihr an diesem Ort erscheint' v. Wilamowitz in versione germanica), Pind. Nem. 8,48 χαίρω δὲ πρόσφορον ἐν μὲν ἔργῳ κόμπον ἱείς, Soph. El. 226 τίνι γάρ ποτ' ἄν .... πρόσφορον ἀκούσαιμ' ἔπος, τίνι φρονοῦντι καίρια ('das ihrer Lage und Stimmung entspricht' Kaibel), Eur. Suppl. 338 τοῖς ἐμοῖσιν οὐχὶ πρόσφορον τρόποις, | φεύγειν τὰ δεινά, Hippol. 111 ... ἵππους, ὅπως ἄν... γυμνάσω τὰ πρόσφορα, ibid. 1361 πρόσφορά μ' αἴρετε, σύντονα δ' ἕλκετε, I. A. 1603 τὰ πρόσφορ' ηὔξατο, Thuc. 2,46,1 εἴρηται καὶ ἐμοὶ λόγῳ κατὰ τὸν νόμον ὅσα εἶχον πρόσφορα, Plat. Leg. 944 D ζημία δὴ τῷ τὴν τοιαύτην ἀμυντηρίων ὅπλων εἰς τοὐναντίον ἀφέντι δύναμιν (i. e. τῷ ῥιψάσπιδι) τίς ἄρα γίγνοιτ' ἂν πρόσφορος (in sequentibus de eadem re πρέπειν verbo utitur). — Itaque πρόσφορά τινα καλεῖν, apud poetam utique, tantundem potuit

[1] Cfr Dindorf in Lex. Aeschyl. et Thes. l. gr. — De reliquo verbi usu ('utilis', 'similis' = προσφερής) non est huius loci agere.

significare atque (τὰ) προσήκοντα, οἰκεῖα, εἰκότα τινὰ ἀποκαλεῖν, et Aeschylus, si h. l. ita locutus est, id intellectum voluit, Amphiaraum 'propriis ac veris' ('treffend') vel etiam 'quibus consentaneum esset' vocabulis Polynicen notasse in eumque invectum esse.

Hinc ad versum 578 transeamus, ubi nihil fere incerti praeter participii ἐνδατούμενος explicationem invenimus. In qua qui scholiastae εἰς δύο διαιρῶν τὸ ὄνομα τοῦ Πολυνείκους, τὸ πολὺ καὶ τὸ νεῖκος interpretanti accedunt, vix satis reputasse mihi videntur, quid aliis locis hoc verbum significet, quantumque inter δίς graecum et *dis-* latinum intersit. Quae praeterea viri docti hac de re recte secusve disputaverint, longum est percensere, quare, quid ipse sentiam, quam brevissime exponam[1]. Proficiscendum autem esse credo a duobus locis, ubi ἐνδατεῖσθαι passive dictum est: Soph. O. R. 203 Λύκει' ἄναξ, τά τε σὰ χρυσοστρόφων ἀπ' ἀγκυλᾶν βέλεα θέλοιμ' ἂν ἀδάματ' ἐνδατεῖσθαι κτλ. et Nic. Ther. 509 ἤτοι ἀριστολόχεια παλίσκιος ἐνδατέοιτο (— — — 517 τὴν ἤτοι ἐχιός τε καὶ αἰνοπλῆγος ἐχίδνης | ἀγρεύσεις ὄφελος περιώσιον · ἔνθεν ἀπορρὼξ | δραχμαίη μίσγοιτο ποτῷ ἔνι κιρράδος οἴνης). Quorum locorum posterior ita apertam habet sententiam, ut ibi ἐνδατέοιτο quid valeat, dubitari non possit. Scilicet, ut iam pridem est animadversum, scholiastae antiqui explicatio: τὸ ἐνδατέοιτο ἀντὶ τοῦ τρίβοιτο, κόπτοιτο, μερίζοιτο, prorsus falsa est, ac potius 'impertiatur', i. e. (hanc in rem, medendi causa) 'adsumatur', 'adhibeatur' interpretandum est. Nec mihi dubium est, quin eadem huius verbi explicatio ad Oedipi Regis locum transferenda sit; neque enim incommode chorus precari dicitur, ut tela Apollinis numini letifero 'impertiantur', i. e. pro rata portione (plene cumulateque) ingerantur iustaque eum castigatione ex urbe abigant. Iam vero deponentis, quod vocatur, non multum ab his exemplis distat is usus, quem Eur. Herc. 217 sq. deprehendimus: ὦ γαῖα Κάδμου · καὶ γὰρ ἐς σ' ἀφίξομαι | λόγους ὀνειδιστῆρας ἐνδατούμενος — quae equidem sic interpretari malim: 'quippe ad te quoque iam deveniam (-io)

[1] Lycophronis aenigma Alex. 155 nihil moror; cfr v. Holzinger ad l. ([illegible] ter ἐμφαγεῖν fortasse etiam ἐγκάπτειν, ἐμφορεῖσθαι sim. conferri possunt).

verba exprobrantia impertiens (impertiturus)'[1], i. e. iusta meritaque te obiurgatione castigaturus, quam Wilamowitzio auctore hunc in modum: 'nam obiurgationes dispensans (dum — omnes in partes dispenso) ad te quoque venio' ('ich komme nämlich bei meiner austeilung von vorwürfen auch zu dir'). Aliter, sed ita tamen ut paulo diligentius intuenti eadem facile notio appareat, ii se loci habent, ubi ἐνδατεῖσθαί τι pro verbo dicendi est deque eo ponitur, qui in sermone aliquo vel oratione haud immemor rei alicuius sit, sed iusta eam debitaque mentione prosequatur in eoque adeo loco fusius exspatietur (germ. 'in einem gewissen Zusammenhange, bei einer gegebenen Gelegenheit sich über etwas gehörig aussprechen, verbreiten'). Ita Soph. Trach. 789 ἐπεὶ δ' ἀπεῖπε, πολλὰ μὲν τάλας χθονὶ | ῥίπτων ἑαυτόν, πολλὰ δ' οἰμωγῇ βοῶν, | τὸ δυσπάρευνον λέκτρον ἐνδατούμενος, ubi hoc fere dicitur, nuptiarum infelicium deplorationem exsecrationemque, sicut consentaneum fuerit, magnam lamentorum partem fuisse, itemque Aeschyl. fgm. 350 N. = Plat. R. publ. 383 B ὅταν φῇ ἡ Θέτις τὸν Ἀπόλλω ἐν τοῖς αὑτῆς γάμοις ᾄδοντα ἐνδατεῖσθαι τὰς ἑὰς εὐπαιδίας (unde partim ex G. Hermanni coni. senarius restitutus: ὁ δ'ἐνδατεῖται τὰς ἐμὰς εὐπαιδίας) | νόσων τ' ἀπείρους καὶ μακραίωνας βίους κτλ. Quibus locis huic dictioni, ut equidem crediderim, ea proprie vis subiecta est, ut significet aliquid orationi 'impertiri', i. e. pro rata portione, non alieno loco nec parce inseri[2]; obiecti autem loco pro rei mentione res ipsa ponitur, fere ut Sophocles El. 1246 ἐνέβαλες (Nauck, Kaibel al. cum schol. pro ἐπέβαλες).... κακόν 'mentionem mali iniecisti' (λόγον περὶ τοῦ κακοῦ) dixit[3].

His expositis facile, ut opinor, apparebit, quomodo hic Aeschyli locus interpretandus sit. Nempe si exquiras, quid re vera factum esse cogitandum sit, nuntius Thebanus nihil dicit nisi Amphiaraum allocutionis illud exordium Polynicis

---

[1] Participii praesens 'de conatu', ut vulgo loquuntur, intellegi licet.

[2] Ut suethicis verbis quid velim exprimam, in his exemplis ἐνδατεῖσθαι est 'inportionera', 'vederbörligen infläta', in prioribus tribus 'till-, påportionera', 'gifva sin beskärda del af något'.

[3] Eodem modo apud Latinos interdum solum iniciendi verbum de mentione inicienda usurpatur.

nomine bis inclamato terminasse. Dum autem ad eam rem demonstrandam non proprio aliquo adiciendi (ἐπι- προστιθέναι, ἐπι- ἐπεμβάλλειν, ἐπιφθέγγεσθαι sim.), sed 'impertiendi' quodam verbo utitur, simul id significavit, eam clausulam praecedentibus convenientem et quasi debitam fuisse et ab Amphiarao plene largiterque suppeditatam esse. Ac nescio an aliqua saltem ex parte loci sententiam adsequi possis, si germanice ita vertas: 'und zweimal obendrein am Ende diesen Namen unterbringend' ('zum besten gebend'?).

Iam unus restat versus 577, non sane facilis ad intellegendum. Ubi primum a communi fere omnium sententia in eo recedo, quod ὄμμα pro ὄνομα a Schuetzio substitutum mihi non probatur. Quin etiam non mediocriter displicet. Quid est enim, quod ille in conviciis iactandis vultum 'resupinet', i. e. caelum versus attollat? Quod si v. 580 in deorum immortalium obtestatione fecisse diceretur, facilius id tolerari posset, sed ita tamen, ut poeta a se ipse defecisse videretur; talia enim ornandi artificia et minutiae a simplici eius magnificentia quam maxime abhorrent. Quid, quod ipse v. 590 (577) sq., et ita quidem, ut eum decebat, dixit, quo habitu gestuque Amphiaraus orationem pronuntiaverit: τοιαῦθ' ὁ μάντις ἀσπίδ' εὔκυκλον (s. potius εὔκηλον[1]) νέμων | πάγχαλκον ηὔδα · σῆμα δ' οὐκ ἐπῆν κύκλῳ. Quam vero dure et praefracte illa mediae sententiae inculcantur: καὶ τὸν σὸν αὖθις . . . ἀδελφεόν — ἐξυ-

[1] εὔκηλον ἔχων M, γρ. εὔκυκλον νέμων m. Quod M scripsit, facillime emendatione inepta ex ευκηλονεμων, in medio ν, quae duplex esse debebat, simpliciter scripta, exsistere potuit (εμων > εχων). Ceteri Argivorum duces clipeos ornatissimos, insignia ostentantes, vibrant et iactant, velut Tydeus 385 (372), Hippomedon 489 (476) isque, de quo nuntius proxime rettulit, Parthenopaeus 539 (526); Amphiaraus vero immotum (ἀτρέμας, cfr Herod. 9,74 ἐπ' ἀσπίδος αἰεὶ περιθεούσης καὶ οὐδαμὰ ἀτρεμιζούσης) clipeum purum (πάγχαλκον) gestat. εὔκηλος, quod in melicis El. 241 Sophocles, in senario I. A. 644 (ubi iniuria, si quid video, εὔκηλον in ἕκηλον 'atticum' mutant) Euripides habet, apud Alexandrinos demum poetas de rebus quoque usurpari lexica docent (cfr Ap. Rh. 2,933 ἠύτε τίς τε δι' ἠέρος ὑψόθι κίρκος, | ταρσὸν ἐφεὶς πνοιῇ, φέρεται ταχὺς οὐδὲ τινάσσει | ῥιπήν, εὐκήλοισιν ἐνευδιόων πτερύγεσσιν); nec tamen illos id sine ulla antiquiorum auctoritate novasse demonstratum est. Quae cum ita sint, εὔκηλον νέμων (alii εὐκήλως, εὔκηλος — nam de mirifico Verrallii commento silere praestat) veram lectionem esse credo et εὔκυκλον v. a librario aliquo parum docto, dum mente oculisque ad inferioris versus exitum κύκλῳ aberrat, procusum esse.

πτιάζων ὄμμα — Πολυνείκους βίαν δίς τ'ἐν τελευτῇ κτλ. Ne multa: librorum ὄνομα sine ulla dubitatione restituendum est. In duobus tribrevibus continuatis hoc loco non magis est, quod haereas, quam v. 593 (580) βαθεῖαν ἄλοκα διὰ φρενὸς καρπούμενος[1] — immo vero eo minus, quod in altero tribracho poeta nominis proprii excusatione utitur. At enim merito in eo offendunt, quod in versu proximo itidem participio adiuncta eadem se vox denuo ingerit: τοὔνομ' ἐνδατούμενος. Recte sane, nisi quid forte ad sententiam momenti et acuminis in ipsa illa iteratione inest. Atque, ut brevi praecidam, sic mihi persuasi, ὄνομα iteratum ita demum se recte habiturum esse, si qua ratione huius modi ex loco sensus elici possit: 'a nomine Polynicis exorsus eodemque nomine bis in fine repetito', ita ut nomen illud conviciorum quasi agmen et duxerit et coegerit. Quam apte haec inter se conveniant, adeo in aperto est, ut ea de re pluribus disserere nihil opus sit. Quamobrem hoc unum moneo, sententia ita redintegrata commoditatem illam allocutionis, quam nuntium v. 576 praedicasse conieci (τὸ πρόσφορον, 'das Angemessene und Treffende'), in eo potissimum ponendam videri, quod Amphiaraus ex fatali nominis vi, rixas et discordiam manifesto portendentis, quasi de capite quodam reliqua deduxerit — qua nominis ominosi interpretatione et ad veritatem exactione, ut poetam quidem ipsum sensisse constat, nihil magis vatis personam decebat[2]. — Sed difficilis sane hic quaestio exoritur, quid tandem participio illo ἐξυπτιάζων faciendum sit. Eone, quo dixi, modo hoc verbum interpretari licet, an emendationis periculum faciendum? At vero summae prae se fert integritatis speciem; prior igitur ratio, quam inire possis, una relinqui.

[1] Ubi valde miror Weckleinium ὦλκα, Krebsii inventum, dignum habuisse quod probatiorum coniecturarum in numerum referret. — Notum est, quasi ex lege quadam et necessitate (et esse id in natura ingenii humani positum nemo nescit) easdem saepe in vicino dicendi figuras iterari, maxime apud scriptores, qui non de singulis in consilium ire soleant — ex quo certe numero Aeschylus est. Talia igitur, etiam in versuum conformatione, inter se praesidio sunt et prudenti critico servanda potius quam convellenda.

[2] Sententiam percommode decurrere, si πρόσφορα duobus, quibus a verbo suo (καλεῖ) dirimitur, versibus explicetur, articulique alteri demum ὄνομα additi rationem sic optime constare ('diesen Namen') nemo non videt.

videtur. Quae ut anceps et temeraria haberi potest, cum in communi scriptorum graecorum consuetudine verbi ὑπτιάζειν (ἐξυπτιάζειν) longe diversa ab ea, quam quaerimus, significatio sit ('supinare, resupinare'), ita aliquam tamen fortasse spem ostendit, si huius verbi adiectivique, unde ductum est, vim ac potestatem paulo diligentius intuearis. Primum enim res ipsa fert, ut ὕπτιος nonnumquam de iis dicatur, quae ad aliam rem recipiendam reclinentur et supponantur: ita χεὶρ ὑπτία (velut Ar. Eccl. 782 (θεῶν ἀγάλματα) ἕστηκεν ἐκτείνοντα τὴν χεῖρ' ὑπτίαν, | οὐχ ὥς τι δώσοντ', ἀλλ' ὅπως τι λήψεται), ἀσπὶς ὑπτία (Thuc. 7, 82, 3, Aristoph. Lys. 185, cfr 195) al. Tum ὑπτιάζειν in eodem prope notionis genere versari videtur ac nonnulla deiciendi verba, quae adiunctam habent fundamenta ponendi s. initii capiendi significationem, velut βάλλεσθαι (Pind. Nem. 1, 8 ἀρχαὶ δὲ βέβληνται θεῶν), καταβάλλεσθαι, καταβολή (Eur. Hel. 164, Callim. fgm. 196, Pind. Nem. 2, 4). Ita forsitan fieri potuerit, ut ὑπτιάζειν ad similem quandam pro fundamento et principio proiciendi et quasi substernendi vim traduceretur. Quod si ita factum esse dederis, ἐξυπτιάζων ὄνομα 'den Namen zu Grunde legend' germanico sermone interpretari liceat.

Neque vero tam incertam in medium proferre coniecturam ausus essem, nisi mihi in mentem loci Aeschylei venisset, quo, si non plane confirmari, at aliquanto certe probabilior effici videretur. Est locus Agamemnonis 1282 (1281) sq., ubi traditus versuum ordo, transpositione vulgo recepta perturbatus, a Wilamowitzio (ed. a. 1885)restitutus est: (Cassandra de Oreste) φυγὰς δ'ἀλήτης τῆσδε γῆς ἀπόξενος | κάτεισιν, ἄτας τάσδε θριγκώσων φίλοις· | ἄξει νιν ὑπτίασμα κειμένου πατρός. Quae cum variis modis emendent explicentque, equidem Wilamowitzio adsentior nihil mutandum esse eamque esse sententiam, quam ille hac versione expressit (Gr. Tragödien V. 1900): 'Der seiner Heimaterde fern im Elend lebt, | kehrt heim zu krönen seines Hauses Frevelbau. | Ihn ruft der Vaterleiche händeringend Fleh'n'. Unum discrepat, quod ὑπτίασμα h. l. aliud quiddam ac Prom. 1005 (1037) idque eiusmodi suspicor significare, ut illi, in quo praecipue superior sententia vertitur, participio θριγκώσων 'fastigaturus' subtiliter arguteque ex

contrario respondere possit. Hunc igitur versum sic fere velim interpretari: 'reducet (autem) eum (ad haec suorum mala fastiganda) fundamentum (ipsum) patris interitu iactum', i. e. Orestes opus exitiabile, quod Agamemnonis caede incohatum est, exaedificabit fastigiumque ei imponet. Hac enim in oratione (v. 1256 sq.) Cassandra prioribus Pelopidarum malis omissis ab Agamemnonis suaque nece exordium capit, nec necessario θριγκοῦν angustiorem (aedificium tantum non perfectum) 'fastigio instruendi' vim habet, sed perfacile in latiorem, quam indicavi, sententiam accipi potest. Contortius autem loquendi genus Aeschylo et Cassandrae vaticinia fundenti vix dubitaveris condonare. Ac dum editiones Agamemnonis, quarum in praesenti copiam nancisci possum, perlustro, Verrallium abhinc quindecim annos eandem prope huius loci interpretationem proposuisse reperio[1]. Cuius ex commentario quae maxime huc pertinent, non alienum erit afferre: 'As this verse is in form a commentary on the preceding, it is there we should look for the explanation. The only expression there likely to suggest remark is θριγκώσων . . . I think therefore that with this metaphor ὑπτίασμα must be connected; the ὑπτίασμα (this is the connexion required) of Agamemnon's fall will bring or lead to the θριγκός of Orestes' vengeance. The θριγκός was the finish of a piece of building, such as the coping stone of a wall, the *abacus* of capital, etc.: and ὑπτίασμα therefore, to suit the metaphorical application, should be what comes before, *i. e.* below, the θριγκός. Now in all building, unless on a very small scale, the projection of the θριγκός is secured and connected with the vertical *by an inward slope;* and this slope is effected by a stone or piece which is a ὑπτίασμα in the proper sense, having a larger end and a smaller, and standing upon the smaller, *i. e.* upside down. More particularly in the capital of a pillar the inward-sloping part (in Doric architecture the *echinus*), which carries the *abacus* or flat top, is precisely a ὑπτίασμα. I should conjecture therefore that to this part of a wall or column the term ὑπτίασμα, or some term (*e. g.* τὸ ὕπτιον) naturally suggesting this, was familiarly applied'.

[1] 'The Agamemnon of Aeschylus', Lond. 1889. Alteram huius libri editionem (a. 1904 emissam) inspicere mihi non licuit.

Summa igitur eorum, quae de utroque loco disputavi, eo redit, ut ὑπτίασμα — θριγκοῦν (Ag.) et ἐξυπτιάζειν — ἐν τελευτῇ ἐνδατεῖσθαι (Sept.) inter se componenda esse coniciam atque inde oblitteratum prope verbi ὑπτιάζειν de fundamentis iaciendis usum erui posse.

Sed una etiam in loco, quem tractamus, restat offensiuncula, eiusdem dico versus exitum Πολυνείκους βίαν, ubi sententiam hiare et quasi in salebra inhaerescere iam supra animadvertimus. Ac licet hoc incommodum reducta librorum lectione ἐξυπτιάζων ὄνομα paululum levetur (quoniam ὄνομα Polynicis nomen est), nequaquam tamen sublatum est. Accedit, quod post τὸν σὸν...(αὐτ)αδελφεόν non nudum Polynicis nomen aut, quod tantundem fere valet, epicam eius nominis circumlocutionem — nam satis iam superque ille indicatus est — sed aliquid multo significantius iure exspectamus[1]. Utrique autem desiderio satisfieri videtur, si una littera mutata πολυνεικοῦς λίαν rescripseris; quo facto iisque adsumptis, quae supra exposita sunt, haec fere, si germanice vertas, totius versus erit sententia: 'den Namen des nur allzu Haderreichen zu Grunde legend'. Quibuscum comparentur velim loci in eadem re versantes, qui infra sequuntur: 658 (645) ἐπωνύμῳ δὲ κάρτα, Πολυνείκει λέγω, 829 (814) οἳ δῆτ' ὀρθῶς κατ' ἐπωνυμίαν | καὶ πολυνεικεῖς | ὤλοντ' ἀσεβεῖ διανοίᾳ[2]. λίαν[3] autem simili modo atque Prom. 1030 (1062) (ubi eadem voculae prosodia, etiam alibi usitata) καὶ λίαν positum est: ὡς ὅδ' οὐ πεπλασμένος | ὁ κόμπος, ἀλλὰ καὶ λίαν εἰρημένος ('sed nimis etiam vere ac serio dictus'). De corruptela denique, quam statui, vix opus est monere, quam facile e versuum paulo supra praecedentium 569, 571 clausulis Ἀμφιάρεω βίαν, Τυδέως βίαν nasci potuerit.

Ad extremum locus totus in eam, quam supra commendavi, formam immutatus denuo proponatur:

---

[1] Longe aliter et cum pondere quodam post 632 (619) τὸν αὐτοῦ σοῦ κασίγνητον octo versuum spatio interiecto novaque in sententia v. 641 (628) Πολυνείκους βία infertur.

[2] Cfr etiam 940 (923) κάρτα δ' εἴσ' ὁμαιμοι.

[3] Pro quo, si ab exemplari unciali litteratura scripto proficiscaris, prope pari iure ἄγαν reponere possis.

576 (563) καὶ τὸν σὸν αὖθις πρόσφορ' αὐταδελφεόν,
ἐξυπτιάζων ὄνομα πολυνεικοῦς λίαν
δίς τ' ἐν τελευτῇ τοὔνομ' ἐνδατούμενος,
καλεῖ · λέγει δέ κτλ.

De Hesiodi Op. 465—469.

SCRIPSIT

OTTO LAGERCRANTZ.

Uerba poetae sunt haec:

Εὔχεσθαι δὲ Διὶ χθονίῳ Δημήτερί θ'ἁγνῇ,
ἐκτελέα βρίθειν Δημήτερος ἱερὸν ἀκτήν,
ἀρχόμενος τὰ πρῶτ' ἀρότου, ὅτ' ἂν ἄκρον ἐχέτλης
χειρὶ λαβὼν ὅρπηκα βοῶν ἐπὶ νῶτον ἵκηαι
ἔνδρυον ἑλκόντων μεσάβων.

Quo modo legendi atque intelligendi sint tres primi uersus, in dubium uocari non potest. Sed quandam iam praebet quartus difficultatem. Omnibus enim in libris inuenitur ὅρπηκα, quod si ad priora i. e. ἄκρον ἐχέτλης refertur, genus dicendi βοῶν ἐπὶ νῶτον ἵκηαι exile neque satis perfectum uidetur, sin autem ad posteriora, obstat ἵκηαι intransitiuum cum accusativo coniunctum. Hac causa commotus Brunck ὅρπηκι scripsit, quam coniecturam Spohn Gaisford Dindorf Kirchhoff alii receperunt. Dictionis ἄκρον ἐχέτλης cura non habita facile euenire potuit ut uersum quartum rati per se ipsum completum librarii ὅρπηκι verbo λαβών transitiuo subicerent inque ὅρπηκα mutarent. Hesiodo sane licebat dicere ὅρπηκι ἐπὶ νῶτον ἱκνεῖσθαι 'stimulo tergum contingere' eodem iure quo Aesch. Suppl. 539 K. εἰσικνουμένου (sc. αὐτήν) βέλει βουκόλου πτερόεντος et Soph. Oed. R. 809 κάρα διπλοῖς κέντροισί μου καθίκετο.

Nunc demum ad uersum quintum deueniamus, quem hoc loco mihi proprie propositum est tractare atque pro mea parte explicare. Lectionem constituere nihil negotii est, cum μεσάβων libri meliores, μεσάβῳ deteriores exhibeant. At oritur contra quaestio difficillima, quid poetae ἔνδρυον μεσάβων dicentis



ante oculos uersetur. Quas sententias editores et critici protulerunt, solum percensentem opinor me non multum profecturum esse. Neque omnino in disputationem descenderem, si non ad rem expediendam nouam certamque uiam monstrare possem.

Forte accidit, ut mihi carmen Hesiodi legenti opus artificis ignoti in memoriam redigeretur, quod quantam uim haberet ad hunc locum illustrandum, statim intellexi. Signum enim fictile, quod e Graecia oriundum Parisiis in museo nunc asseruatur, I. Martha in annali coetus Francogallorum Atheniensis (Bulletin de Correspondance Hellénique) vol. XVII p. 80 sq. enarrauit eiusque imaginem delineandam curauit, quam per me iteratam huic annotatiunculae adieci. Artifex igitur in crepidine i. e. agro agricolam formauit agentem boues ad aratrum iunctos multisque partibus colorem fuscum induxit. Arator tardo pede incedit dextra stiuam tenens, laeua stimulum, qui quidem periit sed e foramine pugni conici licet. Quadrupedes propter miram speciem facile pro equis haberentur, nisi capita cornibus ornata omnem dubitationem amouerent. Aratrum est eius generis, quod Hesiodus ἄροτρον πηκτόν nominat. Ex quibus membris constet, superuacaneum mihi uidetur hoc tempore inquirere. Iugi, quod quidem qua forma sit atque ornatu, nostra magni refert, arcus medius deorsum inflexus ab utraque parte eminet super collum bouis, quod quasi collare complectitur. Medium est iugum clauo temoni affixum. Porrigitur in uicem lorum super iugum citra clauum, deinde sub temonem, tum denuo super iugum ultra clauum, postremo iterum sub temonem, ita ut extrema lori coniungantur. Iugum eiusque additamenta omnia exstant picta.

Hoc signum fictile dicitur Tanagrae in urbe Boeotiae esse repertum et ponitur a Martha propter genus artis antiquissimum in saeculo a. Chr. n. septimo. Nemo autem ignorat etiam Hesiodum circa hoc tempus in Boeotia uixisse. Sed quantum ad explicandam dictionem ἔνδρυον μεσάβων ualeat hoc monumentum, neque Martha, qui non modo quem supra dixi clauum ἔμβρυον (sic) sed etiam lorum uario nomine et ζυγόδεσμον et ἐχέβοιον et μεσόβοιον (sic) appellatum esse censet, neque, quod sciam, alius quisquam adhuc inuenit.

Sequitur ut testimonia ueterum audiamus. Agmen ducit philologus ille Eratosthenes, quem constat in 'Αρχιτεκτονικῷ constructionem aratrorum descripsisse. Quo auctore se usum esse confessus scholiasta in Ap. Rh. Arg. 232 dicit: τοῦ δὲ ζυγοῦ τὰ ἐπὶ τοὺς αὐχένας τῶν βοῶν ἐπιτεθέμενα οἱ μὲν ζέυγλας, οἱ δὲ μέσσαβα λέγουσι. Paulo plenius E. M. 173,26 τοῦ δὲ ζυγοῦ τὰ τιθέμενα ἐπὶ τοὺς αὐχένας τῶν βοῶν οἱ μὲν ζεύγλας, οἱ δὲ βοείας, οἱ δὲ μέσσαβα καλοῦσιν. Definit ζεύγλην Stephanus Thes. s. u. et 'lignum propendens ab iugo, hinc inde boum colla amplexans' et 'partem iugi in quam iumenta collum immittunt'. Et Hesychius ζεύγλη · ζυγός. ἢ τὸ ἄκρον τοῦ ζυγοῦ καθ' ὃ ἐντίθησι τοὺς τραχήλους τὰ ζῶα. Aliunde quam ex Eratosthene pendere uidetur Proclus ἑλκόντων μεσάβων · τὰ μέσσαβα τῶν μεσσάβων · λέγονται δὲ αἱ τοῦ ζυγοῦ γλυφαί · καὶ ὁ Καλλίμαχος · μέσσαβα βοῦς ὑποδύς · ἑλκόντων τῶν βοῶν τὸ ἔνδρυον τῶν μεσσάβων, τὸν ζυγὸν, ἐν ᾧ αἱ γλυφαί, ἔνθα οἱ αὐχένες τῶν βοῶν δέδενται. Proclo igitur μέσαβα sunt caua iugi scilicet inferioris. Quae utrum plenum orbem (cf. γλυφή 'foramen scalpro factum' Suidas s.u. καινοπρεπές) an partem orbis superiorem (cf γλυφίς 'crena' Hom.) fecerint, in medio relinquo.

Si ad imaginem nostram reuertimur, apparet circulis ligneis, qui colla boum complectuntur, nomen μέσαβα fuisse. Quod ad ἔνδρυον attinet, Proclus mihi uidetur et distincte et recte interpretari. Quo iudice ἔνδρυον μεσάβων nihil aliud est quam ζυγὸν ἐν ᾧ τὰ μέσαβα. Sed ἔνδρυον uocatur, quod in arbore (quercu) uel in ligno (querneo) est. Cf. ἔνδρυον · καρδία δένδρου · καὶ τὸ μέσ(αβ)ον Hesych. et ἔνδρυον · γήθυον Theognost. Cram. An. Gr. II 130,7. Apud Hesychium assentiente M. Schmidtio Hemsterhuysius μέσαβον pro μέσον optime scribit. Est igitur utrumque μέσαβον ἐν ξύλῳ τοῦ ζυγοῦ. Sed non multum interest inter *in ligno esse* et *ligneum esse*. Neque apud Hesiodum iugum commemoratur neque in imagine re uera exstat sed sola inter se coniuncta μέσαβα. Accedit quod Callimachus μέσσαβα eadem ui praebet atque ζυγόν. Ex his omnibus rebus efficitur, ut Hesiodus pro ἔνδρυα ἑλκόντων μέσαβα 'ligneum (querneum) trahentium iugum' dixerit ἔνδρυον ἑλκόντων μεσάβων 'ligneum (querneum) trahentium iugi'.

Didicimus ergo μέσαβα fuisse genus iugi e ligno (querneo)

factum. Cum in graecis litteris excepto Hesiodo non inueniatur nisi apud sectatores antiquitatis, Callimachum et Lycophronem, facere uix possum quin putem et verbum et rem mature obsoleuisse. Posteriore enim aetate ζεῦγλαι semper uidentur a ligno iugi separabiles fuisse. Atque animaduertendum est, quam infinite dicat Eratosthenes ζεύγλας et βοείας et μέσσαβα in pari ordine collocans. Ea enim similitudo est, ut ad iugum pertineant et colla boum complectantur. Quae cum ita essent, obsoletum patebat μέσαβον arbitrio interpretum. Sunt primo obtutu mira, quae Hesychius praebet μέσσαβον · ἐξ ὠμοβοείων ἱμάντων, ᾧ τὸν ἱστοβοέα πρὸς μέσον τὸν ζυγὸν προσδέουσι, ὃ τινες ἐχέβοιον et continuo μεσσαῖον · τὸ ὑπὸ τοὺς τραχήλους ὑποτιθέμενον. Certum habeo unum glossema in duo diuisa et μέσσαβον pro μεσσαῖον scribendum esse. At tamen duo interpretamenta conflata sunt. Ex altero (ἐξ ὠμοβοείων ἱμάντων, τὸ — ὑποτιθέμενον) concludi licet μέσσαβον idem habitum esse atque ζεύγλην loream (βοείαν). Alterum (ᾧ — ἐχέβοιον) totum pendet e falso ueriloquio. Existimabatur enim uerbum ortum ex adiectiuo quod est μέσος. Similiter Suidas μέσαβον · τὸ μέσον τῶν βοῶν ξύλον et Photius μέσαβον · μέσον de loco nulla mentione facta.

Cum semel μέσαβον praue explicatum esset, ἔνδρυον ab Hesiodo cum eo coniunctum remanere non potuit intactum: euasit enim clauus iugi. Cf. Poll. 1,252 ὁ δὲ πλατὺς ἱμὰς ὁ τῷ ζυγῷ προσκαθαπτόμενος ἐχέβοιον ἢ μεσάβοιον καλεῖται · καταλαμβάνουσι δ'αὐτὸν, ὅταν περιελίξωσιν εἰς τὸ τοῦ ζυγοῦ τρύπημα κερκίδα ξυλίνην ἐμβαλόντες, ἣ καλεῖται ἔνδρυον.

Proclus in posteriore parte interpretationis omnia plane conturbauit: μεσάβων· ὁ πρὸς τὸν ζυγὸν πλατὺς ἱμᾶς, ὅς εἰς τὴν ξυλίνην κέρκην ἐντίθεται, ἥτις ἔνδρυον καλεῖται, παρ' ὅσον ξύλινον ἢ χλωρὸν ἢ ὅτι πᾶν ζύλον δρῦς, καὶ μέσα τοίνυν τὰ τὰ ὑνία, τὰ μεταξὺ τῶν βοῶν προσδεδεμένα τῷ ἀρότρῳ, ἢ τὸν ζυγὸν, ἢ τὸν ἱστοβοέα.

Synonyma quaedam latina.

(*Prodigium, portentum, ostentum, monstrum*).

SCRIPSIT

CARL THULIN.

In verbis *prodigium portentum ostentum monstrum* inter se distinguendis et grammatici antiqui et viri docti posteriores multum frustra laboraverunt.

Qui ab etymologia ordiuntur, eo fere veniunt, ut idem omnia verba significent.

Festus 138. *Monstrum, ut Aelius Stilo interpretatur, a monendo dictum est velut monestrum. Item Sinnius Capito, quod monstret futurum, et moneat voluntatem deorum. quod etiam prodigium, velut praedictum et quasi praedicium, quod praedicat eadem, et portentum, quod portendat et significet. inde dici apparet id quartum, quod mihi visum est adiciendum, praesertim cum ex eadem significatione pendeat, et in promptu sit omnibus, id est ostentum: quod item ab ostendendo dictum est apud auctores* [*praedictum* codd., *praedicium* M].

Festus Pauli 140 *monstrum dictum velut monestrum, quod moneat, aliquid futurum; prodigium velut praedicium, quod praedicat*; *portentum, quod portendat; ostentum quod ostendat.*

Festus 229 *Prodigia quod praedicunt futura, permutatione g. literae, nam quae nunc c. appellatur, ab antiquis g. vocabatur.*

Cic. de div. I. 93. *Quorum* (ostentorum) *quidem vim — verba ipsa prudenter a maioribus posita declarant. Quia enim ostendunt, portendunt, monstrant, praedicunt, ostenta, portenta, monstra, prodigia dicuntur*, de nat. II. 7 item.

Varro apud Serv. Dan. Aen. III. 366. *Varro sane haec*

ita definit: ostentum quod aliquid hominibus ostendit; portentum, quod aliquid futurum portendit; prodigium quod porro dirigit; miraculum quod mirum est; monstrum, quod monet.

Isid. Orig. XI,3,2 — *quod portendere atque ostendere, monstrare atque praedicere aliqua futura videntur.* 3.- *portenta — a portendendo i. e. praeostendendo. Ostenta autem, quod ostendere quid futurum videantur. Prodigia, quod porro dicant, i. e. futura prædicant. Monstra vero a monitu dicta, quod aliquid significandum demonstrent, sive quod statim monstrent, quid appareat, et hoc proprietatis est, abusione tamen scriptorum plerumque corrumpitur.* Similia Augustin. c. d. XXI. 8.

Qui autem sive ex usu sermonis sive ex etymologia quattuor illa verba discernere et propriis finibus circumscribere voluerunt, magna ex parte falsa statuerunt.

Sueton. Pratum, verborum differentiae p. 284 (Reiffersch.) *ostentum sine corpore solido nobis se ostendit et oculis et auribus obicitur, ut interdiu tenebrae, nocte lux; prodigium quod solidis corporibus conspicitur, ut in caelo cometae stella aut fax; monstrum quod contra naturam < est aut naturam > cognitam egreditur, < ut > serpens cum pedibus, avis cum IIII alis.*

Suetonius quam restrictionem de ostento hic facit, ne ipse quidem sequitur. Nam ait Galba 4 *mulae partus, ceterisque ut obscenum ostentum abhorrentibus, solus pro laetissimo accepit.* Atque quod de prodigio definit Suetonius, idem de portento protulisse videtur Verrius: ea solidis corporibus conspici:

Festus Pauli 244 *portenta rerum fieri dicuntur, quum solida corpora raro se ostendunt, ut cometae, turbines, barathra, sereno coelo facta tonitrua.* Reliquias apud Festum p. 245 ita supplevit Mueller ut *solida* mutaret: *cum < in >solita corpora < aut quae > raro* se ost*endunt < apparent >*. Sed incertam hanc coniecturam reddunt verba Suetonii comparata Pratum Reiff. p. 284 *prodigium quod solidis corporibus conspicitur ut in caelo cometae stella aut fax.* Potius crediderim 'quod solidis corporibus conspicitur' late patere, atque etiam turbines et tonitrua visa esse solidis corporibus fieri.

Ex formis diversis contra portentum proponi ait Isid.

Differ. I 457 *portentum est quod ex formis diversis proponitur, monstrum, quod extra naturam nascitur, vel nimis grande vel nimis breve.*

Idem ait portentum nasci et permanere, ostentum subito ostendi et subduci: Isid. Diff. I 459 *Portentum nascitur et in sua permanet qualitate, ostentum vero subito effertur oculis et subducitur.* Item Corn. Fronto 2192 *portentum quod porro et diutius manet futurumque postmodum aliquid significat,* nisi quod hic insuper est lusus etymologiae: quod porro = in futurum tendatur, ut est in Corp. gloss. lat. V. 657,27 *portentum dicitur quod porro nos dirigat vel quod portendat longius.*

Lusus similis etymologiae indulgens est in

Festus 245 *portenta quae quid porro tend[e]atur, indicent; ostenta, quae tantum modo ostendant; monstra, < quae > praecipiant quoque remedia(!)*

Ut Verrius hic verbis portendere ostendere monstrare deceptus est, ita saepius ad futurum tempus trahuntur prodigium (propter *pro*) et portentum, ad præsens ostentum et monstrum:

Serv. Aen. II. 681. *monstrum* τῶν μέσων *est — et refertur ad praesens —. prodigium autem est quod in longum tempus dirigit significationem.*

Appendix Probi p. 447. Gram. lat. IV s. 200 (Keil) *Inter ostentum et monstrum et prodigium et portentum hoc interest, quod ostentum et monstrum praesentia ostentant, prodigium autem et portentum futura significant.*

Gloss. V. 657.27 v. supra. IV 273.32 *portentum signum futura adnuntians* (= Serv. D. Aen. III 366). Augustin. c. d. XXI. 8 *monstra — a monstrando — et ostenta ab ostendendo et portenta a portendendo,* i. e. *praeostendendo, et prodigia, quod porro dicant,* f. e. *futura praedicant.* Isid. Orig. XI.3.3 (v. supra) *monstra — quod statim monstrent quid appareat.*

Et has et alias nugas comprehendit Corn. Fronto 2192 *ostentum quod praeter consuetudinem offertur, ut puta si videatur terra ardere, vel caelum: portentum, quod porro et diutius manet futurumque postmodum aliquid significat: monstrum est contra naturam, ut est Minotaurus: prodigium quod mores*[1]) *faciunt, per quod detrimentum exspectatur. — — In ostento raritas*

[1] *moras* corr. Doederl. Syn. V 173.

admirationem facit: in monstro rectus naturae ordo vincitur: in portento differtur eventus; in prodigio detrimentum significatur.

Illo vitio, quasi *pro*digium et *por*tentum plus prædictionis ac futuri temporis exhibeant quam ostentum et monstrum, etiam recentiorum temporum definitiones laborant. *Mayor* ad Cic de nat. deor. II. 7: "*Schultz* thus discriminates their meaning: *ostentum* and *monstrum* point to the natur of the phenomenon —, the other words have reference to the import of the phenomenon: *prodigium* — implaying something fatefull and usually, but not always, evil, while *portentum* forebodes actual ruin". Fraudi fuit *pro-* in prodigium et vis verbi *portendere.*

Significationes verborum ita discernit *Forbiger* Hell. u. Rom. II 11 not 84: "prodigium — der allgemeine Ausdruck für schlimme Erscheinungen; portentum und ostentum solche in der lebendlosen Natur; monstrum an lebenden Wesen", ut in singulis verbis tractandis inveniemus, prodigium tantum vere definiens, quia id non circumscribit.

Nimium ait etiam *Doederlein*, cui assentitur Schöman ad Cic. de nat. deor. II.7: "Scharfe Abgrenzung — schwierig. Doch kann man wohl mit *Doederlein* Syn. Th. V s. 174 sagen dass in prodigium das Bedeutungsvolle und Folgenreiche, in ostentum das Wunderbare und Ausserordentliche, in portentum das Schreckliche und Gefahrdrohende, in monstrum das unnatürliche und hässliche der Erscheinungen besonders hervortrete". Nam prodigium portentum ostentum non vi sed usu inter se differunt.

Revera **etymologia** non multum adiuvamur, quia omnia haec verba, etiamsi non eodem modo ficta, ab universali quadam significatione consimili ('Zeichen') in propriam illam, quæ in litteris romanis unica restat, abierunt ('göttliche Zeichen').

Monstrum recte credo Verrius cum Aelio Stilone a monendo (v. supra Festus 138) deducit: $\sqrt{men}$ "gedenken" (*memin-i, mens*), *moneo* "gedenken machen" Sommer, Handb. 68. 542), *mon-stru-m* "das Mittel, durch welches dies bewirkt

wird: Mahnung, Zeichen, Anzeige". Quam vim universalem perdidit *monstrum*, divini tantum monitus vox facta ("eine als göttliche Mahnung aufgefasste Erscheinung"), sed retinuit verbum inde derivatum *monstrare*.[1]

Ostentum (ob-, opstentum) et **portentum** (por- = gr. πάρ v. Osthoff IF. 8,2. Stolz Lat. Gramm. s. 60), ut simili modo ficta, ita ex principio idem significasse videntur: "das Vorgehaltene", sed eodem modo quo *monstrum* restricta sunt ("eine auffallende gottgesandte Erscheinung"). *Ostendo* ut *monstro* generalem vim servavit, *portendo*, verbum minus usitatum, ad similitudinem verbi 'portentum' aliquantum est restrictum ('verkündigen') Serv. Aen. VII. 256 *portendi* [*porro tendi* Serv. D.] *praedici, significari*. Gloss. IV 146. 22 et saepius *futura significat*.

Prōdĭgium incertae originis est. Conatus irritos Ciceronis div. I 93, nat. II. 7 et Verrii (Festus 138 et 229) a dīcere prod. deducendi (velut 'praedicium' vel 'quod porro dicant' Isid. Orig. XI. 3. 3, Augustin. c. d. XXI. 8) supra rettuli. Corssen, Ausspr. d. lat. Spr. I² 381 $\sqrt{d\bar{\imath}c}$ accipit (in-dic-o, di-dic-i etc. dig-itus). Multis iam probata est etymologia, quam protulit Vaniček Etym. Wört. d. lat. Spr. (1881) p. 9: $\sqrt{agh}$ 'sagen' skr. *ah; ā-jo*, ἠ-μί, *nĕgo, cogito* (*co-ig-ito*), *ad-ăg-ium* "Sprichwort" (Certe falso etiam verba indigito, -tamenta contulit Vaniček; Bechtel Bezz. Beitr. XXII 282 f. cft τηλ-ύγετος ὑγιής vegeo: *indugetos). Sic Lindsay Lat. Spr. 332 a.

Iam littera *-g-* dubiam hanc etymologiam reddit; atque etiamsi praeter $\sqrt{agh}$ etiam $\sqrt{ag}$ 'sagen' accipere licet[2], in

1 Rarum suffixum -stro- tuentur verba *lu-stru-m flu-stra* (Osthoff KZ. 23: 313 sq., Stolz Hist. Gram. 542. Cf. etiam *illustris *en-louc-s-tris, industria*). Flensburg Stud. auf. d. Geb. der indog. Wurzelbildung Lund 1897 p, 38 a. *monstrum* ex **mont-trum* deducit (*mons, mentum, eminere*): "das über das gewöhnliche Mass sich Erhebende", *monstrare* "hervorheben, erkennbar machen". Sed num auctam radicem *ment-* iuxta *men-* accipere liceat, incertissimum est. Potius cum *mons* proxime coniunxeris *monstrum* (**mont-trum* cf. μοῦσα *μόντια Wackernagel KZ 33, 571 sq. "Bergfrau") "Bergtier", "Ungeheuer", utpote quae usitatissima sit huius verbi vis (v. infra p. 21). Sed inde ad verbum *monstrare* "zeigen" vix licet pervenire.

2 Danielsson Nord. tidskr. f. filol. Ny raekke 7. 144 *adagium, indigitare, axare* ex $\sqrt{ag}$, *aio* ex $\sqrt{agh}$ deducit.

lingua latina utramque radicem iuxta adhibitam fuisse parum credibile est. F. Solmsen KZ 39, 218 sq. ex $\sqrt{ag}$ 'sagen' etiam *aio* derivat (**agįō aiio*, wie **magįōs maiior;* item Brugmann Kurze vergl. Gramm. p. 95, Sommer Handb. 223), sed in eo quasi certo nititur, quod ei primum erat probandum: verba *prodigium adagium indigito* cum $\sqrt{ag}$ 'sagen' quidquam commune habere; quod non probari posse credo. Primariam vim verbi prodigii fuisse "Voraussagendes", prorsus non est verisimile. *Prodigium* enim erat res acta ('eine Handlung'), quae quid praediceret numquam Romani ipsi diiudicare potuerunt. Interpretatio autem secundarium quoddam erat. Prodigium, ut recte ait Nonius (435), erat "deorum minae vel irae" quod contra voluntatem suam iam quid factum esset ("Zeichen des göttlichen Zornes" Wissowa Rel. u. Kult. 53). Quid autem praedicerent haec prodigia, ab Etruscis demum et libris Sibyllinis paulatim Romani coepti sunt edoceri. Prodigium idem est quod portentum et ostentum, in quibus certe vis *dicendi* non primaria est. Cum autem prodigium ex tribus illis antiquissimum esse verbum inde liceat concludere, quod in sacro sermone unica, ut post videbimus, est vox legitima, absonum est cogitare, in hoc ipso verbo latere eam vim ("Vorverkündigung"), quae in usu non primaria fuit. — Quid est igitur, cur *pro-* in *prodigio* non cum *ob-* in ostento et πάρ in portento conferamus?[1] Quid est, cur non in prodigio verbum *agendi* agnoscamus, ut in portento et ostento. *Stolz Hist. Gram.* (1895) 459 falso *pro* interpretatur: "gewissermassen das *prius actum*, wodurch das Folgende vorherbestimmt wird", itemque Varro Serv. D. Aen. III 366 *quod porro dirigit.* Terrendam vim prodigii explicat Nonius 429 *Prodigium autem pessimum est, dictum quasi porro adigendum*[2] (prodigere = propellere? Das abschreckende Zeichen?). Simplicius et verius *portentum* et *o(p)s-tentum* sine ambagibus conferantur: "das Vorgehaltene, die auffallende Erscheinung" (*prod-igere* ut *por-tendere, proferre*).

---

[1] Sic recte iam Doederlein Syn. V 174 a. *Promonstrum* (Festus p. 224) contra ad similitudinem prodigii fictum est.

[2] porro abigendum Cod T suprscr. ad Serv. Aen III 366.

In prodigio iacet "die Handlung selbst, die Hervorbringung solcher Erscheinungen" (cfr. Vorhaltung = minae), in portento et ostento "das Resultat", in monstro "das Mittel". Ridiculum est apud Frontonem 2192 haec legere: "*prodigium quod mores faciunt, per quod detrimentum expectatur. itaque qui prodigia faciunt prodigi vocantur.*" Sed suo iure cum *prodigio* comparatur *prodigus*[1] [cf. Isid. Orig. X 215 *qui omnia porro agit et quasi* proiicit! Festus Pauli 228 *Prodigere est consumere unde et prodigus fit.* Festus 229 *Prodegeris, consumpseris, prodideris* (sic de industria scripsit Verrius propter soni similitudinem, non *perdideris*, ut corrigere vult Mueller)].

Frustra autem cum *prodigio* semper comparatur *adagium*. Primum duplex forma exstat et quidem antiquior *adagio;*

adagio: Varro L. L. VII 31 *apud Valerium Soranum: 'Vetus adagio est: —'* Don. Ter. Eun. 428 *et dicta et proverbia et adagiones, quod*[2] *rem agant, facetis hominibus adscribuntur* Corp. Gloss. *adagio* παροιμία (II 564.31 *prima species?*). *adagione: proverbio. adagiones:* προοίμια; *proverbia.* (s. ind. VI. 21) Auson. 340 A. *ut, quod per adagionem coepimus, proverbio finiamus.* Symm. epist. 1,3.2 *novi ego, quid valeat adagio.*

adagium: Fest. Paul. 12 *adagia ad agendum apta* [*adagio* corr. Dac.: recepit Thesaurus]. Gell. praef. 19 *Vetus adagium est Nihil cum fidibus graculo.* 1. 8. 4 *illud frequens apud Graecos adagium.* Apul. mund. 14 *est adagium de eo tale.* Cens. 1,7 p. 4,13 *ut vetus adagium* (*adgagium* Darmst.) *est — — — 'sus Minervam'.* Corp. Gloss. II. 6. 14 *adagium*: προοίμιον(?).

Deinde media *a* utrum brevis an longa sit, non certo constat (v. Solmsen l. l. 225). Siquidem — quod crediderim — brevis est, aut praecedenti syllabae servata littera *ă* debetur (Solmsen l. l. 225 confert e. gr. *alăcer calămus*, aut — quod malim credere — *adagio adagium* post legem triarum syllabarum ortum est, nova vox quae non diu vixit: Varro L. L.

---

1 Sic recte Flensburg l. l. p. 39. Sed quod *pro-* interpretatur *'zu weit'* (prodigus "es zu weit treibend, übertrieben", prodigium "das zu weit Getriebene, Übertriebene"), ea vis in *prodigus*, ut in comparatis verbis *profusus proruptus prolixus*, certe secundaria est.

2 *quae ad* corr. Rabbow. "An *quod* <*ad*>?" Wessner.

VII.31 *quod verbum usque eo evanuit, ut graecum pro eo positum magis sit apertum; nam idem est quod* παροιμίαν *vocant Graeci.*

Ita tantummodo haec verba comparari possunt, ut non verbum dicendi sed agendi praebeant. (prodigium et proverbium non plus cummune inter se habent quam adagium et adverbium!). Recte enim antiqui perspexerunt, cohaerere *adagiones, -gia* et *agere:* Fest. Paul. 12. *adagia ad agendum apta.* Don. Ter. Eun. 428 *adagiones, quod rem agant.* Est enim per se haec vox "das mit einer Handlung verbundene", spez. "der an einer bestimmten Handlung angeknüpfte Spruch"[1].

Usus singulorum scriptorum examinandus est, si haec verba vere cognoscere volumus. Nullae enim normae universales statui possunt. Quantum ex. gr. a Cicerone differt Livius?

Ciceronem oratoria arte ductum, ut sermonem variaret, haec verba sine ullo discrimine adhibuisse, elucet ex his locis comparatis.

Cic. de div. I.12 *monstra aut fulgura.*

35. *fulgoribus — aut — portenta.*

II 26 *fulgoribus ostentisque.*

Portentum et ostentum iisdem fere verbis definit (div. II. 49 *quod ante non vidit, id si evenit, ostentum esse censet,* 61 *si quod raro fit id portentum putandum est;* II. 61 *nec si id factum est quod potuit fieri, portentum debet videri.* 62 *nihil habendum esse quod fieri posset ostentum*) et in eadem re adhibet (II. 62 *interpres portentorum — ostentum*). Item portentum et monstrum div II. 59.

Sed *prodigium,* verbum usitatissimum et ut ita dicam legitimum, evitat fere nisi translate in orationibus (= 'Ungeheuer').

Item in poesi recte observavit Servius, Aen. III. 366. *prodigium portentum et monstrum modico fine discernuntur, sed confuse pro se plerumque ponuntur.*

Apud Livium contra *prodigium* adeo praevalet, ut cetera exceptionis loco sint.

1 Cf. *Otto:* Die Sprichwörter d. Röm. 1890 p. XXVIII "Sie wollen auch praktisch befolgt werden und unser Handeln beeinflussen."

Monstrum semel in oratione

IV. 15.8 *non pro scelere id magis quam pro monstro habendum.*

Ostentum semel de familiari prodigio:

XXVI, 6,14 *pro pupillo eo procurantem familiare ostentum.*

Portentum in prima decade:

I. 56.4 *portentum terribile* (de familiari prodigio).

III. 5.14 *portentaque alia aut observata oculis aut vanas exterritis ostentavere species. His avertendis terroribus in triduum feriae indictae.*

IV. 35.9 (in oratione) "*an portento simile miraculoque sit, fortem — virum — existere ortum ex plebe*". (Cf. Cic. de div. II 61. *Si quod raro fit id portentum putandum est, sapientem esse portentum est*).

X. 47.6 *portentoque iam similis clades erat et libri aditi;*

in ceteris libris bis, in orationibus:

XXVIII. 27.16 "*Lapides pluere et fulmina iaci de caelo et insuetos fetus animalia edere vos portenta esse putatis; hoc est portentum, quod nullis hostiis — expiari possit*".

XLIV. 37.5 *C. Sulpicius Gallus — pronuntiavit, nocte proxima, ne quis id pro portento acciperet, — lunam defecturam esse.*

Etiam hac in re observamus id, quod de dicendi generis discrimine apud Livium ostendit *Stacey* 'Die Entwickelung des Livianischen Stiles, Wölfflins Archiv X 1898 p. 17 sqq.: poeticum et rhetoricum orationis ornatum primae decadis esse, deinde magis sobrium et 'obiectivum' fieri sermonem. Quod enim verbum in orationibus tantum adhibet in ceteris libris et quidem de privatis prodigiis, id in rebus ipse narrandis usurpat in primis decem, quin etiam de prodigiis publice receptis (III 5.14, X 47.6—7). De his autem sine dubio '*prodigium*' unicum erat verbum legitimum iis temporibus, ubi constanter prodigia et recipiebantur et annotabantur. Quare etiam fontes varios Livii in hoc verborum usu vario dispicere licet atque

contendere, annum urbis 461 (X 47) certum esse terminum, ante quem non in annales constanter relata sint prodigia publica. Quo anno hic usus inceperit, novissime inqvisivit Wülker (Die geschichtliche Entwicklung des Prodigienwesens beiden Römern Leipz. 1903 p. 58 sqq. et statuit "um das Jahr 450 d. St." p. 60, Mommseno assentiens, qui priore sententia sua relicta, qua a primo anno Julii Obsequentis 505 = 249 initium huius usus deduxerat, in Röm Geschichte I[6] 461 ait "erst seit der 2 Hälfte des fünften Jahrhunderts d. Stadt". Certe, aio, non ante a. 461. Cum autem reputamus, quam pauca prodigia publica ab a. 462 (292) ad a. 504 (250) nobis cognita sint (476 (278) Cic. div. I 16; 488 (266) Oros. IV 5.6—7; incerta 485 et 487 Oros IV. 4,1—4 et 5,1 et incerti anni Gell. n. a. IV. 5; v. Wülker l. l. p. 86—87) intelligimus, non tanto certamine rem dignam esse, quae cum deperditi sint libri Liviani, diiudicari nequit.

Singula verba iam paucis inspiciemus:

Prodigium.

De vi prodigii anceps est testimonium grammaticorum.

I Prodigium in malam partem trahitur.

Nonius 435 M. "*Prodigia deorum minae vel irae*".
430 M. *prodigium autem semper pessimum est, dictum quasi porro adigendum*[1].

Similia reperiuntur verba in Corp. Gloss. Lat. IV. 274.36 *prodigia signa caelestia mala pronuntia*, V, 657.26 *Prodigium—semper in malum ponitur*. Fronto 2192 *in prodigio detrimentum significatur*.

II. Sed prodigium vocem mediam (= omen) esse vel etiam faustum omen significare posse, haec sunt testimonia:

Festus 138. *prodigium velut praedictum et quasi praedicium* [*praedictum* codd. corr. Müller secundum Pauli epitomen 140 *prodigium velut praedicium*.

[1] Ex Nonio, ut videtur sumptum est, quod in cod. Turonensi suprascriptum et adscriptum est ad Serv. Aen. III 366 "*proprie dictum in hoc loco prodigium id est pessimum dictum quasi porro abigendum*, et ad Serv. Dan. Aen. III 59. *prodigium vero deorum irae vel minae quasi porro adigendum*". De his additamentis Codicis T v. praef. Thilonis p. LXII *sqq.*, ubi tamen Nonius non commemoratur.

229 *prodigia quod praedicunt futura, permutatione g litterae, nam quae nunc c appellatur, ab antiquis g vocabatur.*

Cicero de nat. II. 7, de div. I. 93 eandem etymologiam sequitur.

Valer. max. I. 6. init. *Prodigiorum quoque, quae aut secunda aut adversa acciderunt, debita proposito nostro relatio est.*

Plin. n. h. XI 197 *laeto prodigio.*

Serv. Aen. V. 639 *mora prodigiis*] *ecce prodigium de bono.*

Corp. gloss. lat. IV. 380.41 *quod sive bonum sive malum pronuntiat.* V. 476.7 *signum quod bonum aut malum significat.*

Utrum verum est? Si etymologiam, ut Festus, spectamus, anceps est huius verbi propria significatio, ut supra vidimus.

Sin autem exempla examinamus, distinguenda sunt *prodigia propria vel publica* et *prodigia privata.*

I. Quod ad publica prodigia attinet, vera sine dubio et unica est interpretatio Nonii. Quae enim publice procuranda recipiebantur prodigia, semper *deorum minae vel irae* erant. Iusta igitur est definitio Wissowae[1] "die als Zeichen des göttlichen Zornes geltenden aussergewöhnlichen oder naturwidrigen Vorkomnisse"; p. 328 "wenn aussergewöhnliche Naturereignisse und Schreckenszeichen (prodigia) darauf hinweisen, dass das normale Verhältnis zwischen Gemeinde und Gottheit eine Störung erfahren hat und der ersteren ernste Gefahren drohen". Etiam fortius idem exprimit Wülcker[2] p. 1. "Aus letztgenannter Eigenschaft ergibt sich, was scharf betont werden muss, dass ein "gutes" Prodigium ein Widerspruch in sich selbst ist". — Quod si pax deorum non potuit prodigiis procurandis impetrari, minae perficiuntur ut Liv. XXVII. 23.1. *Consules religio tenebat, quod, prodigiis aliquot nuntiatis, non facile litabant.* 4 *Per dies aliquot hostiae maiores sine litatione caesae, diuque non impetrata pax deum. In capita consulum, re publica incolumi, exitiabilis prodigiorum eventus vertit.*

---

[1] *Wissowa,* Religion u. Kultus der Römer 1902 p. 53.

[2] *Ludwig Wülker:* Die gesch. Entwichl. des Prodigienwesens bei den Römern, Studien zur Gesch. u. Überlief. der Staatsprodigien, Diss. ac. Leipz. 1903.

Sed non licet oblivisci minas saepenumero, si deorum pax impetraretur, aversas esse vel etiam in bonum versas.

Cic. de div. II. 24. *cum res tristissimas portendi dixerunt (haruspices), addunt ad extremum omnia levius casura rebus divinis procuratis.* Cf. Iul. Obs. 52. *lustrationibus prospere expiatum, nam totus annus domi forisque tranquillus fuit.*

Gell. I. 7.10. *Item in Valerii Antiatis libro quarto vicesimo — scriptum esse: Si eae res divinae factae recteque perlitatae essent, haruspices dixerunt omnia ex sententia processurum esse.*

Liv. XLII. 20.1 *columna rostrata — fulmine discussa est. 2. Ea res, prodigii loco habita, ad senatum relata est. Patres et (ad) haruspices referri et decemviros adire libros iusserunt. 3. Decemviri lustrandum oppidum etc. Ea omnia cum cura facta. 4. Haruspices* in bonum versurum id prodigium *prolationemque finium et interitum perduellium portendi responderunt, quod ex hostibus spolia fuissent ea rostra, quae tempestas diiecisset.* .

Vix opus est hoc loco cum Wülckero l. l. p. 1, a 1. accipere: "hingegen galt das ausserdem abgegebene Gutachten der Haruspices wohl nur für den Fall glücklicher Sühnung". Id quod terribile prodigium Romanis esse videbatur, et decemviri ex libris procurandum esse renuntiarunt, eius minas in hostes verti haruspices responderunt et Romanis felix omen esse, quod scilicet non opus esset procurare.

Atque accidere potuit, ut Romani, huiusmodi responsis haruspicum ducti, auderent minas prodigiorum etiam ipsi in adversarios avertere atque negligere — ut in ardore turbarum civilium factum esse narrat

Cass. Dio 41.14.6 (a. 49 a. C.) ἐταράττοντο μὲν οὖν ἐπὶ τοῖς τέρασιν ὥσπερ εἰκὸς ἦν, οἰόμενοι δὲ δὴ καὶ ἐλπίζοντες ἑκάτεροι ἐς τοὺς ἀντιστασιώτας σφῶν πάντα αὐτὰ ἀποσκήψειν οὐδὲν ἐξεθύσαντο.

Cum talia exempla reperimus, facile intelligimus malam vim prodigii attenuari atque evanescere potuisse ita, ut iam videbimus.

2. In *usu privato* latius patet prodigii significatio.

Pro bono omine Livius bis hac voce utitur, ubi imperatorem ipsum signa interpretantem facit, nulla procurationis mentione facta:

Liv. XXVI, 45.8 *acer — septemtrio — nudaverat vada —*. 9. *Hoc cura ac ratione compertum in prodigium ac deos vertens Scipio — Neptunum iubebat ducem itineris sequi.*

Jul. Obsequeus 60, (121) *C. Aurelio L. Octavio coss. Sertorio in Hispania exercitum ducenti tale prodigium est factum. Scuta equitum parte exteriore iaculaque et pectora equorum cruenta visa, quod prosperum sibi interpretatus est sertorius, quia exteriora hostili sanguine maculari solent. Continua ei proelia cum successu fuerunt;* quod ex. etiam refert

Frontinus strateg. I 12.4. *Sertorius, cum equitum scuta extrinsecus equorumque pectora cruenta subito prodigio apparuissent, victoriam portendi interpretatus est, quoniam illae partes solerent hostili cruore respergi.*

Quibus duobus ex vita privata addere licet haec:

Liv. I. 34.9 *accepisse id augurium laeta dicitur Tanaquil, perita, ut vulgo Etrusci, caelestium prodigiorum mulier,* ubi laetum augurium inter prodigia numeratur, ut in proximo ex. miraculum divinam stirpem indicans (Cf. Liv. 22.3.12 *foedo omine* et 14 *duplici prodigio* eadem de re).

Liv. XXVI. 19. 6. *fidem apud quosdam fecit, stirpis eum* (*Scipionem*) *divinae virum esse, retulitque famam in Alexandro magno prius vulgatam — anguis immanis concubitu conceptum, et in cubiculo matris eius visam persaepe prodigii eius speciem —. Huius miraculi numquam ab ipso elusa fides est.* Cf. Gell. n. a. VI. 1 et locos illic apud Hosium laudatos.

Cic. Verr. IV. 49. 107. *multa saepe prodigia vim eius* (Cereris Ennensis) *numenque declarant,* "wo Cicero unstreitig an Wunder wohltätiger Art denkt" (Doederl. Syn. V. 174).

Plin. n. h. XI. 197. *Caecinæ Volaterrano dracones emicuisse de extis laeto prodigio traditur* (Cf. Serv. Aen. V 639 *ecce prodigium de bono.*)

XVII. 241. *Inter vitia arborum est et prodigiis locus.* (deinde et laeta et adversa prodigia enumerat Plinius.) Cf. Serv. Aen. III. 391 *prodigiale est hoc, quo significatur triginta annis regnaturus Ascanius.*

Quae cum ita sint, *Wülckeri* verba non probo p. 1 a. 1. "Festus Deutung: "prodigia quod praedicunt futura" kennzeichnet die der späteren Zeit eigne farblose Auffassung des Prodigienbegriffes"; nisi etiam Livio "farblose Auffassung" tribuit. Verrius etymologiam sequitur, a qua usus sermonis non plane abhorrebat, etiamsi longe usitatior erat pessima vis huius verbi. Cicero qui eam etymologiam accipit, nullum discrimen facere videtur inter prodigia portenta monstra ostenta. Ut rhetoribus ita poetis certe liberum arbitrium erat (ut Verg. Aen. V 639), ut etiam de fausto omine hoc verbo uterentur, quoniam in usu privato licebat —. Sed "die farblose Auffassung der späteren Zeit" apud Valerium Maximum I. 6. agnoscimus (v. supra), qui laeta prodigia publica accipit.

Malam vim prodigii sero prævalere docet hoc exemplum Script. hist. aug. I 98 *Prodigia eius imperio et publice et privatim haec facta sunt.* Hi auctores saepissime verba omina signa auspicia usurpant. Omina imperii apud eos sunt fausta omina imperii futuri. Prodigia imperio hoc loco sunt signa mortis ut I 168.6 *occidendi Getae multa prodigia exstiterunt.* Sed apud ecclesiasticos vis illa prorsus evanuit:

Filastrius Corp. Eccl. XXXVIII 88. 7 *prodigia fecisse apostolos magna* commemorat.

Lactant. divin. inst. II. 16.14 *quotiens alicui populo vel urbi secundum dei statutum* boni *quid impendet, illi se id facturos vel* prodigiis *vel somniis vel oraculis pollicentur si sibi templa, si honores, si sacrificia tribuantur. Quibus datis summam sibi pariunt venerationem.*

Posterioris temporis usui vago attribuere par est etiam excerpta Liviana Julii Obsequentis ad hunc modum facta:

Jul. Obs. 44. — — *aedes Iovis clusa fulmine icta — — piratae in Cilicia a Romanis deleti. — ancilia cum crepitu sua sponte mota. — — — Lusitanis devictis Hispania ulterior pacata. Cimbri deleti.* 45. — — *fremitus armorum ex inferno auditus. — fugitivi in Sicilia proe-*

liis trucidati. 47. — in circo inter pila militum ignis fusus. Hispani pluribus proeliis devicti.

Prodigia ex Livio enumerat, eventus, qui apud Livium cum prodigiis non cohaerent, ipse coniungit minasque deorum in hostes avertens laeta prodigia ex rebus actis interpretatur. — Livius contra damna Romanorum prodigiis fuse referendis praecipit, animos legentium praeparans, dum docet, eam tum fuisse deorum voluntatem, ut Romani afflictarentur.

Ostentum.

Vis ostenti latissime patet.

Ulp. dig. 50. 16. 38 *Ostentum Labeo definit omne contra naturam cuiusque rei genitum factumque. Duo autem genera sunt ostentorum, unum quoties quid contra naturam nascitur, tribus manibus forte aut pedibus: alterum, cum quid prodigiosum videtur, quae Graeci* φά[ντα]σματα *vocant.*

Non. 435 M. 26 *monstra et prodigia et portenta hoc distant, quod sunt monstra ostenta et monita deorum —, prodigia deorum minae vel irae — portenta ostenta quae aliquid imminere significant.* In hac explicatione *ostenta* genus, *monstra* et *portenta* species sunt.

Et privata et publica prodigia o. comprehendere potest (Plin. n. h. 8.221 *mures — in ostentis etiam publicis* 11.55. *apes ostenta faciunt privata ac publica.* Cic. Verr. 2.108). De prodigioso partu agitur Cic. div. II 49, *cum concepit mula,* 149 *ostenti simile natum factumve.* Plin. 7,33 *Tergeminos nasci certum est Horatiorum Curiatiorumque exemplo. Super inter ostenta ducitur,* 34 *Eutychis — enixa XXX partus, Alcippe elephantum. quamquam id inter ostenta est.* Falso igitur Forbiger (v. supra p. 6) "portentum und ostentum solche in der lebendlosen Natur", et Sueton Prat. Reiff. 284 "ostentum sine corpore solido nobis se ostendit" et Isid. differ. 459 "ostentum vero subito effertur oculis et subducitur". — Nihil mali necessario significat. Pro bono praesagio est e. gr. Tac I. 10. 16. Plin. 18.166 *ex frugibus ostentum — quo anno superatus est Hannibal. Lugubre* et *triste* adduntur Plin. n. h. 10.28 et 11. 190. Dirum omen est Cic. div. I. 121 *Croesi filium locutum; quo ostento regnum — concidisse.* Gravissima prodigia

haec vox significat apud poetam Petron. 122 v. 141 *haec ostenta brevi solvit deus* (= minas signorum bellum civile portendentium perfecit). Cf. Cic. div. II 69.

Universalis vis huius verbi etiam ea re illustratur, quod titulus libri Tarquitii, quem ex Etrusca lingua verterat (manuale artis etruscae divina signa interpretandi), *ostentarium*[1] erat. Quum autem ex Etruria vulgo accirentur haruspices ad publica prodigia, in usum privatum sine dubio maxime hunc librum verterat Tarquitius. Atque ut publice prodigium, ita privatim, credo, ostentum vox præcipua erat (cf. Livius XXVI. 6.14 *familiare ostentum*). Sed ostenta etrusca longe latius patebant quam prodigia[2] romana: etiam ad auspicia et omina fere respondebant: non solum quæ contra naturam solitam erant sed etiam multa naturalia Etrusci, ut vi praedicendi praedita, normis interpretandi subiecerant. Sic Plinius n. h. 28.14—16 *ostento* et *augurio* simili de re utitur, 28.17 *ostentis* etiam *auspicia* subiungit (*ostentorum vires et in nostra potestate esse ac, prout quaeque accepta sint, ita valere. in augurum certe disciplina constat neque diras neque auspicia etc)* et ait 7.203 *interpretationem ostentorum et somniorum Amphictyon invenit*, 28.14 *fata et ostenta*. Et Seneca n. q. II 34 *exta fulmina aves* verbo *ostento* complectitur.

Etiam *ostentum* unicum ex his verbis est, quod non in vim divini signi totum abiit. Festus 194 *ostentum non solum pro portento poni solere, sed etiam participialiter — — — testimonio est Pacuvius* etc. 201 *Ostentum quo nunc utimur interdum prodigii vice, quin participialiter quoque dici solitum sit, non dubium facit etiam C. Gracchus* etc. Fest. Pauli 195, Serv. G. I 248.

Ostentum quia latissime patet et ideo comprehendenti aptissimum est, pluraliter et in generalibus sententiis longe usitatius est quam in singulis signis divinis enarrandis — nisi quod Suetonius hanc vocem omnino frequentat. Apud Plinium e. gr. plurali forma usu venit 9ies (n. h. 7. 33, 34, 203, 8. 221,

[1] Macrob. Sat. III 7.1. *Liber Tarquitii transcriptus ex Ostentario Tusco:* 20.3. *Tarquitius autem Priscus in Ostentario Arborario.*

[2] Prodigii quum nomen tum vim necesse est a disciplina etrusca plane discernere.

10. 49, 55, 17. 241, 28. 15, 17), singulari in generali sent. bis (10. 28 *semper lugubri ostento*, 11. 190 *tristis ostenti*), de uno prodigio facto semel (18. 166). Cicero singulari forma ter commemorat ostentum externum(!): div, I 73, 121, II 69; *quasi ostentum* ait div. II 62, *de toto hoc ostento* har. resp. 10, 18, 31. Plurali autem forma utitur 22:ies, singulari in philosophica dissertatione 7:ies (div. II 49 bis, 56, 62 bis, 67, 14). Ita intelligendum est verbum *interdum* apud Fest. 201 *ostentum quo nunc utimur interdum prodigii vice.*

Simul autem ostentum ut plurimum comprehendit, ita minimum exprimit. Itaque translate hoc verbo, ut leviore, rarius scriptores utuntur quam ceteris gravioribus: Coelius Cic. ad Fam. 8. 14.4 *scis Appium censorem hic ostenta facere*, de persona Tacitus demum: III. 56.5 *praecipuum ipse Vitellius ostentum erat* (antecedunt 1 *prodigiosum dictu*, 3 *dirum omen*), 15. 34.8 *Vatinius inter foedissima eius aulae ostenta fuit.*

His duobus rationibus satis explicatur id, quod apud Ciceronem in philosophicis scriptis longe saepius ostentum usu venit quam in orationibus (33:5), cum in prodigio contrarii numeri valeant (5:19).

Portentum.

Portentum est quod raro fit atque ideo terret. (Cic. div. II. 61. *si quod raro fit id portentum putandum est.* Festus 245). Verbum gravius est quam ostentum, ab auspiciis et ominibus longius distans. Idem est quod prodigium. Etiam de publicis prodigiis adhiberi potest, ut apud Livium vidimus, sed ibi non vox legitima est. Magis poetarum et rhetorum verbum est.

Falso Forbigerum brutae naturae soli hoc verbum tribuisse ("schlimme Erscheinungen — in der lebendlosen Natur, monstrum an lebenden Wesen"), haec exempla satis probant: Cic. nat. deor. 2.14. *praeter naturam hominum pecudumque portentis.* Liv. I. 56.4. *anguis portentum.* XXVIII. 27.16 v. supra. Lucr. V. 38. *hydra — cetera portenta.* Serv. Dan. Aen. XI. 271. *portentum est homines in aves esse conversos.* Isidorus denique titulo' *de portentis*' totam disputationem de iis, quae contra notam naturam creata sunt vel quae 'monstra' vulgo apellant, comprehendit (Orig. XI. 3). Cf. Gloss IV. 555.2 *portenta*

monstruosa signa. 147.6. Cic. div. II. 60 *portentosa aut ex pecude aut ex homine nata.*

Pessimum id esse omen contendunt *Doederlein* (Syn. Th. V p. 174 "das schreckliche und gefahrdrohende") et *Schultz* (v. Mayor ad Cic de nat. deor. II. 7: "portentum forebodes *actual ruin*"). Cum portendantur etiam secundae res, (ut Jul. Obs. 47. *fruges et tempestates portendit bonas*. 61. Tac. h. II. 78.11. *portendi sibi imperium credebat*), non intelligitur, cur portentum necessario sit "actual ruin". Tam gravis vis certe non inest in his ex: Liv. IV. 35.9. *an portento simile miraculoque sit, fortem ac strenuum virum — existere ortum ex plebe?* Cic. de div. II. 61. *si quod raro fit id portentum putandum est, sapientem esse portentum est. Terribile* addit Livius I. 56.4 Quin portenta media esse, et bona et mala, ait Servius Aen. VII. 58 et 533; vaccilare de hac re sententias ait Festus 245: *portenta existimarunt quidam gravia esse, ostenta bona. alii portenta quaedam bona, ostenta quaedam tristia appellari*). Sed etymologiae (v. p. 5) et similudini verbi 'portendere' credo haec de media vel bona vi portenti dicta debentur, nam certum boni portenti exemplum nullum invenitur. Recte igitur Nonius, ut prodigium (publicum) supra, ita portentum definivit: 435.26 *portenta (sunt) ostenta, quae aliquid inminere significant.*

Monstrum.

Etymologiam et vim propriam huius verbi supra p. 6 tractavi. Sed vere ait Isid. Orig. XI. 3.3. *monstra vero a monitu dicta quod aliquid significandum demonstrent et hoc proprietatis est, abusione tamen scriptorum plerumque corrumpitur.* Nam propria vis, signum divinum vel ut recte Nonius 435 ait, "*monita deorum*", multo rarior est quam abusiva. Atque diligenter hae significationes distinguendae sunt. Quod enim dicunt viri docti, monstrum a ceteris verbis eo distingui, quod ad animalia pertineat (Forbiger v. p. 6) vel ad vitiose et foede creata spectet (Doederlein Schöman v. p. 6), id maxime abusiva vi capti statuerunt.

Nam Cicero hoc verbo, ut ceteris, universe utitur (div. I. 12. *monstra aut fulgura*, I. 3, 92, II, 87. nat. III. 5, phil. XIII. 49.) et item Vergilius Aen. VII. 269. *non — sortes, non*

plurima caelo monstra sinunt de signis ex caelo, II. 171. *nec dubiis ea signa dedit Tritonia monstris* de simulacro, cuius arsere lumina et quod sudavit et solo emicuit, III. 26. *horrendum et dictu video mirabile monstrum* de arbore, cui sanguis emanavit, III. 58. *monstra deum refero* de eodem ostento et de gemitu et vocibus ex tumulo imo auditis, IX. 120 *mirabile monstrum* (= miraculum), 128 *Troianos haec monstra petunt* de eodem miraculo et de 'voce horrenda per auras' (112).

Quod autem explicant veteres, ut Fest. Pauli 156 *monstra dicuntur naturae modum egredientia, ut serpens cum pedibus, avis cum quattuor alis, homo duobus capitibus, iecur quom distabuit in coquendo*, Isid. Differ. I. 457. *monstrum quod extra naturam nascitur vel nimis grande vel nimis breve*, et consentiunt recentiores (v. supra p. 6), id perraro exemplis comprobatum reperimus. Nam prodigia ostenta portenta eiusmodi signa divina saepius appellantur quam monstra: Cic. div. 1.98. *ortus androgyni nonne fatale quoddam monstrum fuit* (sed nat. deor. 2.14. *praeter naturam hominum pecudumque portentis*). div. 2.59. *si mures corroserint aliquid, quorum est opus hoc unum, monstrum putemus?* (sed deinde *portentum* idem appellatur). Plin. VII. 35. *multiformes pluribus modis inter monstra partus*[1]. Iuv. II. 121. *scilicet horreres maioraque monstra putares, si mulier vitulum vel si bos ederet agnum.* Quare et sero excultus et parum constans hic usus esse videtur, atque nescio an definitio illa ad usum poetarum atque cotidiani sermonis magis quam ad religionem pertineat. Admodum frequens enim est vis illa 'Ungeheuer' 'Scheusal', in qua posita est e. gr. explicatio Frontonis 2192 *monstrum quod est contra naturam ut Minotaurus*, et quae iam Plauti temporibus aperta erat in huiusmodi locutionibus: Plaut. Poen. 273. *monstrum mulieris*, Ter. Eun. 696. *monstrum hominis, non dicturu's?*

At dixeris hunc usum necessario ex illo ortum esse et sic concludi posse, vere antiquam esse restrictionem illam signi divini, quod est monstrum, ut ad animalia pertineat[2]. Tamen aliam viam sermo ipse aperit. Nam apud Plautum *monstrum* propria vi graeci verbi φάσμα "Spuk" præditum reperitur,

[1] ubi brevi ante similia signa prodigia et ostenta Plinius appellavit.

[2] De etymologia *mons* — *monstrum* 'Bergtier Ungeheuer' v. p. 7.

Mostell. 505 *Quae hic monstra fiunt, anno vix possum eloqui*, Argum. 4. *Terrifica monstra dicit fi[l]eri in aedibus.* 'Mostellum', deminutiva forma, ex qua Mostellariam fabulam Plautus apellavit, non iam exstat. Ex hac significatione ad fabulosas species horrendas, quales sunt Scylla Minotaurus, facile venimus. Et in hoc usu nescio an primum cum natura viventi coniuncta sit vis 'monstri'. Nam illa monstra faciebant 'vivi' post mortem in terra vagantes.

Etiam graecum φάσμα simili modo adhibetur: Soph. Tr. 508 ὑψίκερω τετραόρου φάσμα ταύρου de tauro monstruoso et 837 Δεινοτάτῳ μὲν ὕδρας προστεταχὼς φάσματι de hydra.

Verba Servii Aen. II. 681, *monstrum* τῶν μέσων *est* et Servii D. Aen. III. 59. *medium est, quia interdum dicuntur et bona* comprobantur his seris demum exemplis: Florus I.7.11. *monstrum pulcherimum imperii.* 10.8 *virtutum monstris.* Praeterea semper monstrum, item ut portentum, malum est signum atque ideo rhetorice atque translate usurpatum magnam vim tribuit orationi. Liv. IV 15, 8 (v. p. 11) post *pro scelere* (Verstoss gegen menschliche Gesetze) additur, ut gravius, *pro monstro* (Verstoss gegen die Götter). Idem iam Plautus Asin. 289 *pro monstro* (signum pessimum) *extemplo est quando qui sudat tremit.* 'Monstro simile' ut 'portento simile' (v. p. 11) dicitur: Ter. Eun. 334. *Eho nonne hoc monstri similest?* (post 329 *incommode* — *infeliciter* hoc amplificans ait i. e. pernicies portenditur.) Quintil. IV. 2.39. *deinde* (*quod sit monstro simile*).

INDEX

SVMPTVS IN HOC VOLVMEN EDENDVM
PRAEBVERVNT

HENRICVS AHRENBERG, GVSTAVVS EKMAN,
IOHANNES EKMAN, IVAR WÆRN
GOTOBVRGENSES



